12206/A

5. a. 8741

MEDICAMENTORUM CONSTITUTIO,

SEU

FORMULÆ

CAROLI BARBEIRAC,

Doctoris Medici Monſpellienſis, Practici Celeberrimi, nec non feliciſſimi.

In lucem editæ ac auctæ, curâ & ſtudio Doctoris Medici Monſpeſſulani.

LUGDUNI,
Sumptibus FRATRUM DE TOURNES.

M. DCC. LI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

BIBLIOPOLA

CANDIDIS PHILIATRIS.

ECCE veram Medicamentorum Conſtitutionem, ſive Formulas Clariſſimi BARBEIRAC, olim Monſpellii expertiſſimi ac feliciſſimi practici, quas à ſemetipſo, aut à Domino SYDOBRE, ſororis ejus filio, Doctore Medico Celeberrimo, Medicinæ alumni ſæculo præterito accepere. Non uniformi in iis dictandis ſtilo uſi ſunt hi viri Celeberrimi, ſed pro arbitrio nunc gallicè, nunc latinè eas enuntiarunt, ut exemplaribus manuſcriptis patet, quæ à non-

nullis Medicis præſertim Monſpellienſibus accuratè ſervantur. Has ego vobis offero latinè univerſim conſcriptas curâ & ſtudio Doctoris Medici Monſpeſſulani, Medicinam in Montepeſſulano cum laude facientis, qui novam hodiernæ praxeos Monſpellienſis lucem his formulis affudit, novaſque addidit formulas non infelici eventu ſæpiſſimè præſcriptas; ſic ea quæ in linguam latinam verſa fuere, his ſignis ** & hujuſce Doctoris Monſpeſſulani additamenta his uncinis [ ] includuntur; ne Clariſſimo Barbeirac, ſi quid ab illo Doctore peccatum eſt, tribueretur. His Philiatri Clariſſimi formulis fruimini, & medullitùs exopto ut vobis in uberes creſcant fructus.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS

DE REMEDIIS INTERNIS.

CAPUT I.	*De Apozemate.*	pag. 1
CAP. II.	*De Julepis.*	25
CAP. III.	*De Potione.*	41
ART. I.	*De Potione alterante.*	ibid.
ART. II.	*De Potione catharticâ.*	66
ART. III.	*De Potione emeticâ.*	78
CAP. IV.	*De Juſculis.*	105
V.	*De Emulſionibus.*	133
VI.	*De Cremoribus.*	139
VII.	*De Ptiſanis.*	145
VIII.	*De Sirupis.*	183
IX.	*De Lacte, & lactis ſero.*	191
X.	*De Aquis mineralibus.*	205
XI.	*De Hydromelite & Looch.*	222
XII.	*De uſu Kinækinæ* [*& Caſcarillæ.*]	232
XIII.	*De Præparatione Chocolatæ, Thé, Caffé, & Salviæ.*	252
XIV.	*De Opiatis.*	265
XV.	*De Bolis.*	288
XVI.	*De Pillulis.*	296
XVII.	*De Tabellis.*	305
XVIII.	*De Pulveribus.*	310

INDEX CAPITUM.

LIBER SECUNDUS DE REMEDIIS EXTERNIS.

CAPUT I. *De Balneis.* pag. 326
CAP. II. *De Fomentis.* 338
CAP. III. *De Epithematibus,* 345
IV. *De Collyriis.* 348
V. *De* Pſilotron *ſeu depilatoriis.* 358
VI. *De ſuffitu.* 359
VII. *De Cataplaſmatibus & pultibus.* 364
VIII. *De Pomatis.* 372
IX. *De Emplaſtris & ceratis.* 377
X. *De Unguentis & linimentis.* 393
XI. *De Synapiſmo ſeu phœnigmis, de dropace, catapaſmate, diapaſmate, & empaſmate.* 440
XII. *De Sacculis, cucuphis, frontalibus, oxyrrhodinis, epicarpiis, & applicationibus variorum animalium.* 442
XIII. *De Cauteriis, & Trochiſcis.* 447
XIV. *De uſu radicis* Thimeleæ. 451
XV. *De Pulveribus externis.* 452

LIBER TERTIUS DE REMEDIIS MEDIIS.

CAPUT I. *De Clyſteribus* pag. 457
CAP. II. *De Gargariſmatibus.* 484
CAP. III. *De Aquis vulnerariis & injectionibus* 497
IV. *De Errhinis & maſticatoriis, ſeu apophlegmaticis.* 509
V. *De ſuppoſitoriis & peſſariis.* 522

*PONDERA ET MENSURÆ.

Medicamenta præſcribi ſolent pondere, manipulo, pugillo, pare, numero, faſciculo & guttis.

PONDUS à grano exoritur, dein grana ſcrupulum efformant; ſcrupuli drachmam; drachmæ unciam; & unciæ libram præbent.

Granum æquat pondus grani hordei, aut tritici benè enutriti.

Scrupulus in hâcce regione (Monſpellii nempè) continet grana viginti, in aliis (ut Pariſiis) grana viginti quatuor.

Drachma ſcrupulos tres.

Uncia drachmas octo.

Libra medica uncias duodecim (ſed plerùmque apud omnes Pharmacopolas libra ſexdecim uncias continet.)

Pugillus eſt id quod tribus digitis capi poteſt.

Manipulus quod manus tota complectitur.

Faſciculus quod brachio complicato capi, & contineri poteſt.

Gutta eſt minima liquorum menſura, quæ, eos lentè effundendo, ab eis ſeparatur.

[Gutta non æquiparatur grano nec ra-

tione activitatis & vis , nec ponderis ; nam plures requiruntur guttæ , ut grani pondus adæquetur ; plures adhuc deſiderantur ut vis grani habeatur ; deſiderantur v. g. guttæ viginti laudani liquidi *Sydenhami*, ut æquetur vis grani unius laudani opiatici, & guttæ quatuor ſirupi *Glauberi*, ut habeatur vis grani unius tartari ſtybiati cum croco metallorum parati.

Ut varia eſt in diverſis regionibus liquorum menſura , ſatius eſt præſcribere liquores per uncias , aut libras ; ſic omnes magis inter ſe congruent Medici , & Pharmacopolæ Medicorum præſcripta faciliùs exſequentur. Monſpellii menſura communis , quæ vocatur *le pot*, quadraginta octo uncias ponderat , ſeu tres libras.]

Pondera , menſuræ , & alia formularum ſigna ſubſequenti modo notantur.

Granum ,	gr. i aut iij.
Scrupulus ,	℈i aut ij.
Drachma ,	ʒi aut v.
Uncia ,	℥i aut ij.
Libra ,	℔. i aut iv.
Manipulus ,	m. i aut ij.
Pugillus ,	p. i aut iß.
Gutta ,	gtt. aut gutt.
Par ,	par.
Numerus ,	n°.

Pars menſuræ aut ponderis dimi-

dia, ß. aut ſemis.
Faſciculus, faſc.
Ana, id eſt æqualitas menſuræ aut ponderis, ana.
Secundùm artem, ſ. a.
Sufficiens quantitas, ſ. q.
Quantùm ſatis, q. ſ.
Præparatum, pp. aut ppt.
Quantùm vis, q. v.
Miſce, miſc.
Cochlear, cochl.
Stratum ſuper ſtratum, ſ. ſ. ſ.
Balneum mariæ, B. m.

Pondere præſcribuntur ligna, radices, cortices, ſæpè etiam ſemina, quæ pugillis præſcribi ſolent. Plantarum folia, dum viridia ſunt, manipulo præſcribuntur: ſicca verò aut numero, ut folia *ſcolopendriæ ſive linguæ cervinæ*, aut pugillo. Craſſi fructus numero, tenues verò ut jujubæ, amygdalæ, per paria debent præſcribi.

In componendis formulis indicanda ſunt primò remedia, quæ longiori indigent coctione, dein alia ratione coctionis gradûs, quo indigent: ſic ligna, radices, cortices antecedere debent folia, ſummitates, ſemina & flores. Notandum 1°. quòd quando gummi, aut reſinæ internè ſunt aſſumenda, *diſſolve* numquàm debet dici, ſed deglutienda ſunt gummi, aut reſinæ in

conſervâ violarum, roſarum, aut in aliâ priùs obvoluta, antè aut poſt potionem, ſic ſolet præſcribi reſina jalappæ. Notandum 2°. quòd menſtruis ſulphureis & ſpirituoſis diſſolvantur reſinæ, aquoſis verò gummi, & dum in pulverem debent redigi reſinæ, priùs oleo amygdalarum dulcium piſtillum eſt inungendum. *

MEDICAMENTORUM CONSTITUTIO.

****

LIBER PRIMUS, DE REMEDIIS INTERNIS.

CAPUT PRIMUM. *DE APOZEMATE.*

[*Apozema eſt decoctum ex variis ſimplicibus paratum ſaccharo, aut ſirupo dein edulcoratum.*]

IN Apozemate præſcribuntur radices ad unciam; cortices vel ligna ad unciam ſemis, licèt rarò uſurpentur; folia ad manipulum unum, vel duos;

ſummitates ad pugillum unum ; ſemina calida ad drachmas duas , frigida lenientia ad unciam ſemis ; fructus dulces , & poma ad n°. i ; acidi & majores ut *citreum* ad mediam vel quartam partem ; mediocres ut *pruna* , ad paria tria ; parvuli ut *uvæ* ad drachmas duas , vel unciam ſemis ; flores ad pugillum unum ; aromata infuſa ſine coctione ad grana viginti.

Apozema eſt purgans aut alterans , & ad unam , duas, treſve doſes componi ſolet.

Apozema purgans fieri ſolebat pro tribus doſibus , quia conſtabat librâ unâ ſemiſſe , hodiè fit tantùm ad libram unam , quæ doſis ob ingratum purgantium ſaporem ad libram ſemiſſem reducitur. Doſis integra in apozemate purgante per vices ægroto exhibetur ; ſi per ſex dies ſumendum ſit , ad quintam partem reducitur.

In compoſitione apozematis & aliorum compoſitorum præire debent

in formulâ eæ plantæ partes quæ longiori indigent coctione: debent itaque præſcribi ſub hoc ordine. Ligna, radices, cortices, folia, ſummitates, ſemina, fructus, & flores; ſunt tamen exceptiones in plantis aut radicibus facilioris coctionis, texturæ tenuioris, quibus ſufficit quarta horæ pars coctionis, ut radici althææ, ſymphiti majoris, glycyrrhiſæ.

* Decoctum apozematis trajici debet per cribrum textûs valdè compacti, & ex telâ laneâ confectum; poteſt etiam pro delicatulis, & ſtomachis debilibus cum ovorum albuminibus clarificari, quod dein per manicam Hippocraticam trajici debet: illud eſt addendum in fine formulæ ſub his verbis, *fiat apozema quod albuminibus ovorum clarificetur*; & ſi ſit aromatizandum, *aromatizetur cum eſſentiæ citri aut cinnamomi aut caryophyllorum guttis tribus aut quatuor.* *

APOZEMA

Sanguinem viſcidum diluens.

℞. Radicum petroſelini & aſparagi ana ℥ß. foliorum beccabungæ, naſturtii aquatici, ſummitatum lupuli aut hiſſopi ana m. ß. ſeminis dauci cretici ʒi, florum aurantiorum p. j. coq. in. ſ. q. aquæ fontanæ ad ℥ viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de Kermes ʒvj. aquæ naphæ ℥i. aquæ cinnamomi ʒi. fiat apozema clarificatum & aromatizatum, quod iterari poterit per triduum manè jejuno ventriculo.

* Præſcribendum eſt hocce apozema in magnis ventriculi debilitatibus cum extremorum algore, in ſyncope quæ cum inæqualitate pulſûs identidem recurrit : tunc ſyncope eſt polypi cordis effectus, qui concretioni lymphæ in ventriculorum, aut auricularum aut vaſorum cordi appenſorum cavo debetur ; in corporis languoribus, in dolorificis artuum convulſionibus, vulgò *douleurs de crampe*, in affectibus ſoporoſis à

ſanguine craſſo, & ſpiſſo exortis; quod facilè noſcitur ſummo faciei pallore, pulsûs depreſſione, & pectoris oppreſſione. Ut hocce apozema in ſummis pulsûs depreſſionibus, & in vehementi ſanguinis coagulatione citiorem ac vividiorem effectum præſtet, ei addi poſſunt grana decem aut quindecim ſalis ammoniaci, aut ſalis tartari. *

APOZEMA

In Sanguinis diſſolutione.

℞ Radicum ſymphiti majoris & althææ ana ℥iß. foliorum tuſſilaginis, buglosſi & lactucæ ana m. ß. pomum fragrans in fruſta diſſectum n°. j. ſeminum quatuor frigidorum, majorum, mundatorum, contuſorum & in nodulo ſuſpenſorum ʒß. florum malvæ p. j. coque in aquâ fontanâ ad ℥ viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de althæâ Fernelii ℥ j. ſucci boraginis ritè defœcati ʒij. fiat apozema per ſex dies iterandum.

* Id apozema feliciter præſcribi-

tur in ſanguinis diſſolutione, in dyſuriâ, in fluxu menſium immodico, in magnis hæmorrhagiis, in febribus ardentibus, in ophtalmiâ, in tuſſi ac ſiccitate imarum faucium, & in omnibus morbis à nimiâ ſanguinis diſſolutione pendentibus. Feliciter hoc apozema ſæpiſſimè præſcripſi poſt eryſipelata, peripneumonias, imò etiam poſt febres malignas & continuas, quas ſubſequuntur calor anxius, febris & ſudores nocturni, dum infauſtè fuere terminatæ; verùm ante & poſt uſum hujuſce apozematis conveniens purgatio eſt præſcribenda. *

APOZEMA

Sanguinem exſiccatum diluens.

℞. Radicum graminis, dentis leonis & enulæ campanæ ana ℥iij. capillor. veneris, pimpinellæ, cichorei cum toto & agrimoniæ ana m. ß. ſummitatum lupuli p. ij. florum papaveris rheados p. j. coque in aquâ fontanâ ad ℥viij.

in colaturâ diſſolve ſirupi capillorum veneris ℥i. fiat apozema manè, & ſerò ſumendum per triduum.

* Multùm prodeſt id apozema in ſiccitate & ardore imarum faucium & linguæ, in cancro & in ulcere cancroſo, in tonſillarum tumefactione, parotidibus, bubonibus, in febre malignâ & peſtilentiali; nam ii morbi ſiccitati ſanguinis debentur, qui colatoriis humores exſiccatos onuſtosque ſalibus fixis diluendis, ac in minimas moleculas diſſolvendis ſuppeditat; id opus præſtant diluentia & non ſpirituoſa pharmaca : quantùm uſitata ſint diluentia in praxi, dum de ptiſanis, patebit. *

[*APOZEMA*

Sanguinem ſiccum diluens, læſaſque digeſtiones emendans ac roborans.

℞. Radicum cichorei & fragariæ ana ℥i. radicis enulæ campanæ ℈iv. pimpinellæ hortenſis m. ß. folia ſcolopendriæ n°. v. foliorum meliſſæ p. ij. ci-

chorei viridis hortenſis m. j. coque in ſ. q. aquæ fontanæ ad ℥xiv. in quibus infunde cinnamomi craſſiuſculè triti g̃. xx, dein cola produplici doſi, in primâ diſſolve ſirupi florum perſicorum ℥i. in ſecundâ ſirupi de cichoreo compoſiti ℥i. fiat apozema, & capiatur manè jejuno ventriculo.

Hoc apozema, quod iterari poterit per triduum, multùm confert in melancholiâ, in affectione hypochondriacâ, ac hiſtericâ, in dolore ventriculi à ſiccitate ſanguinis exorto, uno verbo in omnibus morbis in quibus læduntur digeſtiones ob ſpiſſitudinem ſanguinis à ſiccitate exortam.]

APOZEMA
Humorum acrimoniam leniens.

℞. Radicum ſymphiti majoris & althææ ana ℥ß. foliorum boraginis, adianthi, pediſcati, & tuſſilaginis ana m. ß. jujubarum pinguium, & paſſularum integrarum ana ʒij. ſeminis papaveris albi, contuſi & in nodulo ſuſpenſi ℥ß. liquiritiæ raſæ ʒiij. florum liliorum aut violarum p. i. coque in de-

coсto hordei ad ℥viij, in colaturâ diſſolve ſirupi de nimpheâ aut de roſis ſiccis aut violarum ℥vj. fiat apozema ſæpè iterandum.

* Hoc apozema leniens præſcribendum eſt in tuſſi ſiccâ, in ſiccitate pectoris, in dyſuriâ, in ſanguinis effuſionibus ſive per uterum, ſive per urethram, ſive per alias vias, & in omnibus affectibus à ſanguine diſſoluto, acri, & rarefacto enaſcentibus. *

APOZEMA

Sanguini fervido & rarefacto dicatum.

℞. Radicum acetoſæ, fragariæ & lapathi acuti ana ℥iij. foliorum portulacæ, lactucæ, acetoſæ & endiviæ ana m. ß. ſeminis melonis contuſi & in nodulo ſuſpenſi ℥ß. limonii fruſtula iij. florum bugloſſi p. j. coque in aquâ fontanâ ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de limonibus ℥vj. fiat apozema dandum manè & ſerò per triduum.

Vel ad eumdem Scopum.

℞. Radicum graminis & bugloſſi ana ℥ß.

foliorum dentis leonis, capillor. veneris & bugloſſi ana m. ß. pomum redolens, & in fruſta diſſectum, florum boraginis p. j. fructuum kinorrhodontis contuſorum & in nodulo ſuſpenſorum par. xij. coque in aquâ fontanâ ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de berberide ʒvj. ſpiritûs ſulphuris gtt. vi. fiat apozema.

* Nullum præſtantius his apozematibus adeſt pharmacum in ſummâ ſanguinis excandeſcentiâ, in ſiti morbosâ, in diabete, in maniâ, phrenitide, in vomitu bilioſo, choleramorbo, in *hypercatharſi*, in hæmorrhagiis, in iſchuriâ à ſanguine fervido & rarefacto exortâ, & in omnibus circumſtantiis, in quibus extinguendus eſt fluidorum ardor, cohibenda eorum excandeſcentia eorumque motus temperandus. *

APOZEMA

Aperiens, diſſolvens, ac diluens.

℞. Radicum bruſci & aſparagi ana ℥ß. corticum ſambuci, fraxini ana ʒij.

foliorum cichorei cum toto, pimpinellæ, ſcolopendriæ, & agrimoniæ ana m. ß. ſummitatum aſparagi & lupuli ana p. j. coque in aquâ fontanâ ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de quinque radicibus ʒvj. ſalis tartari gr. xij. fiat apozema, clarificetur & aromatizetur cum cinnamomi ℈i, iterabitur per ſex dies manè, purgatione inſtitutâ in principio, medio, & fine.

Vel aliud cum ferro.

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ in nodulo ſuſpenſæ ʒij corticis capparis ʒiij. radicum eringii, anonidis & apii ana ʒiij. foliorum hepaticæ, equiſeti, cetherac, & dentis leonis ana m. ß. ſummitatum artemiſiæ p. ij. fructuum capparis ʒij. coque cum aquâ fontanâ ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de cichoreo ſimplicis ʒvj. fiat apozema.

* Conveniunt hæc apozemata in infarctibus lymphaticis lienis, hepatis, & nonnullorum viſcerum imi ventris; aptiſſima ſunt ad dividendum ſanguinem, aliaque fluida, ad vaſa lymphatica, organaque ſecre-

toria reſeranda particulis duris, ac ſolidis, & ſalibus acribus quibus ſcatent; ſic ſanguis eorum uſu fluidior fit, aliique faciliùs fluunt liquores; ſecretiones reſtituuntur, humoresque purgantur ſuccis crudis, motibus fluidorum adverſis, viſceraque abdominalia obſtruentibus. Verùm quotidiana experientia edocet omnia aperientia non eſſe æqualiter apta ad humores attenuandos, organa ſecretoria reſeranda, fluidaque purganda in omnibus viſcerum obſtructionibus; nam adſunt e. g. aperientia aptiſſima ad vaſa uterina reſeranda, quæ leves effectus producunt in aliorum viſcerum obſtructionibus: ſic inter ea eligenda ſunt aptiora ratione viſceris obſtructi. Inſuper addam apozemata tantùm aperientia prodeſſe in levibus obſtructionibus, ubi ſanguis ſuccis crudis parùm eſt conſpurcatus; ſed è contra feliciùs utuntur Medici apozematibus purgantibus in majore ſanguinis inquinatione cum obſtruc-

tionibus, licèt aliquatenùs ſint inveteratæ. *

APOZEMA

Infarctum reſerans.

℞. Radicum rubiæ tinctorum & ononidis ana ℥ß. foliorum marrubii, matricariæ, artemiſiæ, & ſummitatum roris marini ana m. ß. ſeminis petroſelini p. j. croci orientalis ℈i. coque in aquâ fontanâ ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de marrubio ℥i. tartari chalybeati ſolubilis ʒß. fiat apozema, clarificetur & aromatizetur cum ℈i. cinnamomi electi, & iteretur per triduum.

* Adhibendum eſt id apozema in ſuppreſſione menſium, in chloroſi, in fluore albo ſeroſo aut lurido quem vaginæ ardor, calor, excoriatio, & dolor fervidus non comitantur, & in omnibus morbis qui obſtructionibus uteri, catamæniorum remoræ debentur. Verùm hujuſce apozematis uſus in his morbis eſt cohibendus, dum à ſangui-

ne menſtruo retento excitantur hæmophtiſis, hæmorrhagiæ, febres vividæ, ſubitaneus ſanguinis ad cerebrum appulſus: priùs enim pacanda ac curanda ſunt hæc ſymptomata venæ ſectionibus tum è brachio, tum è pede ſæpè iteratis, & aliis congruis remediis; & curatis ſemel his ſymptomatibus, dein feliciter adhiberi poſſunt aperientia. Hæc agendi ratio prudentem ſanè medicum expoſtulat qui ſciat cauſam morbi opportunè relinquere, ad oppugnandum ac curandum grave ſymptoma, quo curato, nihil obſtat quominùs eradicitùs curetur morbus, cum abſque periculo morbi cauſa oppugnari ac deſtrui poſſit. *

APOZEMA

Meſenterium, pulmones, & pancreas aperiens.

℞. Radicum enulæ campanæ, graminis & ſalſæparillæ minutim diſſectæ

ana ℥ß. foliorum camphoratæ, ſaniculæ, & virgæ aureæ ana m. ß. florum papaveris rheados p. i. hydrargyri ritè defœcati & in nodulo duplici ſuſpenſi ℥i. ſeminis contra ʒii. coque in decocto hordei ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi capillor. veneris. ℥i. fiat apozema, clarificetur, per ſex aut ſeptem dies iterandum purgato corpore in principio & fine.

* Ut pulmonum, meſenterii pancreatis, & glandularum conglobatarum obſtructiones ſpiſſitudini lymphæ, aut humoris analogi debentur, & ſæpiſſimè viru ſcrofuloſo, aut ſyphillitico difficillimè auferuntur, dum ſemel ſpiſſata lympha hæret & concreſcit in glandulis aut in vaſis lymphaticis; aperientia uſitata has lymphaticas concretiones leviter attingunt, & nullos aut perexiguos effectus producunt.

Apozema ſuperiùs præſcriptum, ptiſanæ mox præſcribendæ, juſculaque viperarum aptiſſima ſunt ſalibus volatilibus & acribus, quibus ſcatent,

ad lympham concretam ſubeundam, ac liquefaciendam glandulaſque obſtructas reſerandas.

Adhiberi poteſt id apozema in fluxu cœliaco, in tumoribus meſenterii, pancreatis, in aſtmathe, & cordis palpitatione, in tumoribus ſcrofuloſis; ſed præſertim in illâ vomitûs ſpecie, quæ ægrotantes poſt paſtum tantùm diſcruciat, quem concomitatur febris lenta ac maraſmus, & terminari ſolet aut febre lentâ maraſmo, aut aſcite. Aperiendo cadavera hacce vomitûs ſpecie defunctorum ſemper in eis vel obſervatur in ventriculo glandula tumefacta magnitudinem nucis juglandis æmulans, vel notabiles in meſenterio obſtructiones reperiuntur, quod comprobat hanc vomitûs ſpeciem materiis ſcrofuloſis deberi.

Ad pacandas viſcerum inflammationes potiùs adhibenda ſunt diluentia & edulcorantia, quàm refrigerantia; nam refrigerantia non ſolùm

æſtum ſanguinis compeſcunt, ſed etiam organorum ſecretoriorum ſuccos denſant & coagulant, qui organa ſecretoria tumefaciunt, ſanguifera vaſa premunt, ſic novas accerſunt inflammationes, aut jam factas fovent.

In ſummo corporis ardore, & in bilis efferveſcentiâ, ac exaltatione, ptiſanæ apozematibus ſunt præponendæ; verùm in choleramorbo, ubi violentia morbi parare apozemata non ſinit, utuntur Medici aquâ fontanâ cum ſpiritu ſulphuris ad gratam aciditatem, aut aquâ fontanâ, in quam conjicitur citreum fruſtulatim ſectum, aut aquâ pulli, ut acrimonia materierum in ventriculo, ac inteſtinis contentarum, & cholerammorbum producentium coërceatur. *

APOZEMA DETERGENS.

℞. Radicum dentis Leonis, fragariæ, enulæ campanæ & lapathi acuti ana

ʒii. foliorum agrimoniæ, capillorum veneris, piloſellæ, ſaniculæ & pyroſæ ana m. ß. coque in decocto graminis & hordei ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi capill. veneris ʒvj. balſami albi judaici, aut peruviani, aut ſulphuris gtt. xij. fiat apozema, ſumendum manè per triduum, aut ſæpè iterandum.

* Id apozema detergens habendum eſt tanquàm præſtans pharmacum diluens; nam ſanguini ſuppeditat ſerum ſalibus acribus parùm onuſtum; ſed aptiſſimum ad diſſolvenda ſalia, eorumque acrimoniam obtundendam; ejus auxilio pus fluidius factum in ulcere minùs commoratur, minùs conſequenter ad id confluunt, minùſque in eo hærent fluida. Prætereà ulcus auxilio balſami agglutinari facilè poteſt, nam hoc balſamum eſt præſtans, nemine renuente, *traumaticum*. Id apozema efficax ſanè præbet remedium in diuturnâ gonorrhæâ [modò antivenerea methodicè fuerint adhibita] in inveteratâ dy-

ſenteriâ, in ulceribus renum, veſicæ, & pulmonum. *

APOZEMA

Alvi profluvio, & omnibus hæmorrhagiis coërcendis dicatum.

℞. Radicum biſtortæ, tormentillæ & ſymphiti majoris ana ℥iij. foliorum plantaginis, burſæ paſtoris, pentaphilloïdes & millefolii ana m. ß. roſarum rubrarum & balauſtiorum ana p. i. coque ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſucci urticæ ritè defœcati ℥ij. ſirupi cydoniorum, aut de roſis ſiccis ℥vi. fiat apozema, ſæpè iterandum.

* Utuntur hoc apozemate in omnibus hæmorrhagiis, in alvi fluxibus ægros exhaurientibus, diutiùſque perſeverantibus. Succo urticæ ſubſtitui poteſt plantaginis ſuccus, aut millefoliorum, aut ſanguinis draconis & corallorum ppt. ℨ. ß.

Nota ad diaphoreſim & diureſim promovendas, ptiſanas & juſcula diaphoretica & diuretica apozema-

tibus ad has indicationes adimplendas parandis eſſe præponenda.

APOZEMATA CATHARTICA.

Apozemata Cathartica ſeu purgantia melancholicis valdè conducunt, ut ſucci crudi in ventriculo ſtagnantes, ſanguinemque coinquinantes eliminentur, viſcerumque obſtructiones auferantur; conducunt & quoque omnibus conſtitutionibus ſanguinem graſſum ac viscoſum habentibus: præſto etiam ſunt poſt febres malignas & continuas ad auferendas obſtructiones quæ has ſæpè ſubſequuntur febres,& ad purgandum ſanguinem his ſuccis crudis & reſiduis, qui hos morbos iterum ſanè procrearent: His utuntur etiam apozematibus in hydrope ad evacuandum ſerum ſuperfluum, organaque ſecretoria reſeranda. *

APOZEMA
Purgans, & aperiens ad melancholiam.

℞. Radicum bruſci & aſparagi ana ℥ß. radicis viridis hellebori nigri ʒi. foliorum agrimoniæ, capill. veneris, cetherac, bugloſſi ana m. ß. florum bugloſſi p. i. coque ad ℥viij. in colaturâ adde infuſionis roſarum pallidorum ℥ij. & diſſolve ſirupi de pomis Regis Saporis ℥i. fiat apozema; manè ſumendum.

[Hoc apozema, quod melancholiæ dicat D. *Barbeirac*, huncce ſanè exaſperaret morbum. Apud melancholicos enim ſanguis eſt ſpiſſus, & leviter acris, & ſolida defectu ſeri ſicca & nimis vibratilia: hocce conſequenter apozema, actione præſertim hellebori nigri, infuſionis roſarum pallidarum, & ſirupi de pomis Regis Saporis, ſanguinem magis exſiccaret, vibratilitatem majorem ſolidis conciliaret, & melancholiam intenderet: ſed ad curandam melancholiam diutiùs eſt inſiſtendum di-

luentibus, edulcorantibus cum ſtomachicis & levibus attenuantibus ſociatis.]

APOZEMA

Aperiens, & purgans in Hydrope.

℞. Radicum ononidis & petroſelini ana ℥ß. corticum mediani ſambuci & capparis ana ʒi. foliorum equiſeti, pimpinellæ, cherefolii & ſummitatum lupuli ana m.ß. florum tamariſci & calendulæ ana p. i. ſennæ mundatæ ʒij. rhei electi conciſi & in nodulo ſuſpenſi ℈ij. coque in decocto graminis ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de cichoreo compoſiti, aut roſarum ſolutivi compoſiti ℥i. millepedum in clibano exſiccatorum & pulveratorum ʒß. jalapæ pulveratæ, aut elaterii gr. iv. fiat apozema per hebdomadam; alternis diebus ſumendum.

* Ex illo apozemate elaterium aut jalapa ſunt detrahenda, dum urinæ nimis rubræ ac arenoſæ excernuntur.

D. *Sydobre* vidit mulierem aſcite

laborantem quæ hoc apozemate ab illo morbo fuit ſæpiſſimè liberata, ſed poſt plures recidivas interiit. Aperto cadavere, tota abdominis cavitas ſero plena fuit reperta, & pars ulcerata inter hepar & ſplen fuit etiam obſervata: præterea diaphragma, hepar, lien, ac colum tantam adepta erant molem, ut ab eis ventriculus & pancreas valdè compreſſa viderentur: obſervata etiam fuere ovaria gangrænâ correpta & pure repleta. *

[*APOZEMA*

Aliud, purgans, & aperiens.

℞. Radicum bruſci, aſparagi, arundinis & petroſelini ana ℥ß. radicis enulæ campanæ ʒij. croci martis aperientis rore maïali ppt. & in nodulo ſuſpenſi ℥ß. rhei electi craſſiuſculè triti & in nodulo ſuſpenſi ʒi. millepedes vivos lotos n°. xx. aut xxv. apii paluſtris, naſturtii aquatici & cherefolii ana m. ß. coque in aquâ fontanâ ad ℥xvi. pro duplici doſi, in primâ

diſſolve ſirupi de rhamno cathartico ℥iß. in ſecundâ ſirupi roſarum pallidarum compoſiti ℥i. fiat apozema, manè jejuno ventriculo ſumendum, per triduum continuandum.

Magno cum ſucceſſu adhibitum fuit quàmpluries id apozema in cachexiâ, & in omnibus hydropis ſpeciebus, miraque præſtat in eis.]

APOZEMA

Diluens, & purgans in Febribus malignis.

℞. Radicum fragariæ & acetoſæ ana ℥ij. foliorum capillorum veneris, agrimoniæ & pimpinellæ ana m. ß. tamarindorum pinguium ʒvj. ſennæ mundatæ ʒij. limonii dimidium Coque in aquâ fontanâ ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de cichoreo compoſiti ℥i. fiat apozema dandum manè, iteretur per triduum.

* Præſcribendum eſt hoc apozema in declinatione febrium malignarum, imò & in decurſu harumce febrium poſt emetica & violentiora cathartica, ut omninò purgetur ſanguis. Verùm dum in his morbis ſummus

mus ad eſt ardor, ptiſanæ cathárticæ his apozematibus ſunt præponendæ.

CAPUT II.

DE JULEPIS.

JUlepus eſt medicamentum liquidum, nunc ex decocto, nunc ex aquis ſtillatitiis, & ſirupo aut ſaccharo paratum. In eo diſſolvuntur ſucci plantarum, laudanum & pulveres; tum ad dividendum, aut diluendum ſanguinem, aut ei majorem conſiſtentiam tribuendam, tum ad ejus acredinem edulcorandam, & ejus æſtum compeſcendum, tum ad viſcera obſtructa reſeranda, inflammationes cohibendas, ulcera interna detergenda, alvi fluxus coërcendos, ſpirituum animalium æſtum pacandum, ſomnum conciliandum; tum diureſim aut diaphoreſim promovendam, tandem ad

adimplendas eaſdem indicationes, quæ apozematibus ſolent adimpleri.

Diſcrimen, quod inter apozema & julepum ex decocto reperitur, petitur ex majori plantarum numero, quæ ad parandum apozema requiruntur, & quæ non ſunt neceſſariæ ad julepum conficiendum; præterea cathartica in julepi compoſitionem non ingrediuntur.

In julepo conficiendo attendendum eſt ad liquorem, & ad diſſolvenda. Liquor ex aquis ſtillatitiis aut ex decocto mutuatus ad uncias octo ad ſummum eſt præſcribendus ut in apozemate. Radices, flores, fructus, folia, & ſemina in decoctum Juleporum ingrediuntur, & eadem doſi ac in apozematibus præſcribuntur.

Quamvis aquæ ſtillatitiæ, quæ in officinis ſervari ſolent non ejuſdem ſint efficacitatis, ac decocta & plantarum ſucci, attamen eis frequentiſſimè utuntur Medici, quia de-

coctiones ſemper recentes non ſunt. In juleporum liquore diſſolvendi ſunt ſirupi eaſdem indicationes ac liquores adimplentes. *

JULEPUS EX DECOCTO

Ad ſanguinem viſcidum attenuandum.

℞. Radicum aſparagi & fœniculi ana ℥ß. foliorum agrimoniæ, artemiſiæ & naſturtii aquatici ana m. ß. fiat decoctum pro julepo in quo diſſolve ſirupi de abſinthio ℥vi. fiat julepus, exhibendus manè per triduum.

* Ex illâ julepi ex decocto formulâ abundè patet julepum ex decocto ab apozemate alteranti ſimplici vix differre, quapropter conſultò prætermittimus alias juleporum formulas omnes indicationes adimplentes. Ex exemplo illius julepi ex decocto, omnes juleporum ex decocto formulæ facilè componentur cum remediis quibuſcum apozemata ſimplicia & alterantia efformantur, ex his detrahendo tan-

tùm cortices, ligna, & hanc herbarum copiam, quæ in eorum compoſitionem ingredi ſolent. *

JULEPUS

Ex aquis ſtillatitiis ſanguinem viſcidum attenuans.

℞. Aquarum fœniculi & naphæ ana ℥iij. aquæ cinnamomi ʒij. ſalis ammoniaci ʒß. ſirupi de viperis ʒvi. miſce, fiat julepus, exhibendus manè per triduum.

* Hi julepi non ejuſdem efficacitatis ſunt ac apozemata, quæ ad attenuandum ſanguinem viſcidum poſſunt præſcribi. Verùm cùm tempus ægrotantibus opitulandi urget, hi præſcribuntur julepi, ut in ſyncope & in aliis morbis in quibus pulſus valdè depreſſus, ac extrema frigida obſervantur. *

JULEPUS INCRASSANS

In ſanguinis diſſolutione.

℞. Aquarum liliorum & nymphææ ana

℥iij. ſucci borraginis ritè defœcati ℥ii. ſirupi de nymphæâ ℥i. miſce, fiat julepus, exhibendus manè & ſerò per triduum.

[Hic julepus non ſolùm ſanguinem incraſſat & edulcorat, ſed actione borraginis ſucci eum attenuat & diaphoreſim ac expectorationem movet, miraque præſtat in caſibus in quibus eæ ſunt adimplendæ indicationes.]

JULEPUS DILUENS.

♃. Aquarum cichorei & lapathi acuti ana ℥iij. ſucci dentis leonis ritè defœcati ℥ij ſirupi capill. veneris ʒvi. miſce, fiat julepus, exhibendus manè & ſerò per triduum.

* Non æquè facilè exprimitur ſuccus borraginis, ac ſuccus dentis leonis & aliarum ejuſdem indolis plantarum, quia his viſcoſior eſt ſuccus borraginis, & in igne concreſcit. Verùm ut facilè eliciatur borraginis ſuccus, borrago eſt concidenda, dein in ollâ fictili vernice

linitâ eſt imponenda cum duobus aut tribus aquæ cochlearibus, & ad ignem collocanda, ut levi temporis ſpatio ebulliat; poſteà in mortario marmoreo eſt contundenda, & in linteo premenda ut ſuccus eliciatur, qui tandem eſt clarificandus aut per reſidentiam, aut cum ovorum albuminibus, aut per bibulam cartham. Non iiſdem utuntur cautionibus ad exprimendos aliarum plantarum ſuccos, ſufficit tantùm ut in mortario contundantur, & dein abſque prægreſsâ ebullitione in linteo premantur, ut earum eliciatur ſuccus, qui eâdem methodo eſt clarificandus.

Hic julepus diluens multùm prodeſt in peripneumoniis ſiccis, in parotidibus, in febribus malignis cum ſummâ linguæ ſiccitate, & in melancholiâ hypochondriacâ, ubi ſanguis ſiccus ac fervidus eſt. *

JULEPUS LENIENS.

℞. Aquarum florum malvæ & liliorum

ana ℥iij. ſirupi violacei ʒvj. miſce, fiat julepus, manè & ſero ſumendus.

* Adhibetur hic julepus in imarum fiucium ardore, in calore acri & fervido thoracis tuſſi ſtipato; in illo moleſto pruritu, aut dolore acri, qui inter meïendum ſæpè ægros diſcruciat; ſed mira præſtat hic julepus ei addendo i. aut ℥ij. olei amygdalarum dulcium in torminibus ventris, quæ puerperas ſæpè adoriuntur. *

JULEPUS REFRIGERANS.

℞. Aquarum portulacæ & lactucæ ana ℥iij. ſirupi de limonibus ʒvi. ſpiritûs ſulphuris gtt. vj. fiat julepus, ſtatim exhibendus.

Vel

℞. Aquarum bugloſſi & acetoſæ ana ℥iij. ſirupi de berberide ʒvj. ſalis prunellæ ʒß. miſce, fiat julepus.

* Hi julepi apprimè conveniunt in ſuperpurgatione, in ſummo ſanguinis æſtu, in bilis exaltatione,

in vomitibus ac diarrhæis, quæ à bile commotâ ac nimis exaltatâ producuntur, in cholerâ-morbo humido, in paroxyſmo nephritico, ei addendo guttas aliquot ſpiritûs ſalis dulcificati, ut dum de potionibus videbitur. Tandem hi julepi valdè proſunt in dyſuriâ, ſiti morboſâ; iis etiam utuntur in ſanguinis ardore, in magnis hæmorrhagiis, & in febribus ardentibus.

JULEPUS APERIENS.

℞. Aquæ infuſionis ferri ℥vj. ſalis tamariſci, aut alkali nitroſi *de ſeignete* ʒß. ſucci cherefolii & fumariæ ritè defœcati ℥ij. ſirupi martis aperientis, aut de quinque radicibus ʒvj. miſce, fiat julepus, per ſex dies exhibendus.

* Rariſſimè adhibentur julepi aperientes cum aquis ſtillatitiis; quia non ſunt ejuſdem efficacitatis ac julepi aperientes ex decocto; præthereà ut periculum non eſt in morâ in his morbis qui aperientia ſuadent, his julepis aperientibus cum aquis

ſtillatitiis ſemper præponenda ſunt apozemata aperientia, aut julepi aperientes ex decocto. *

JULEPUS DETERGENS.

℞. Aquarum betonicæ & argentinæ ana ℥iij. ſucci agrimoniæ & fœniculi ritè defœcati ℥i. ſirupi capillorum veneris ℥i. miſce, fiat julepus.

* Julepi ex decocto, aut apozemata detergentia ſunt his julepis efficaciora, quapropter his ſunt præponenda. *

JULEPUS ASTRINGENS

In alvi fluxu immoderato.

℞. Aquarum plantaginis & roſarum rubrarum ana ℥iij. corallorum rubrorum ppt. & ſanguinis draconis ana ʒß. ſirupi de roſis ſiccis, & ſirupi cydoniorum ana ʒvj. ſucci plantaginis ritè defœcati ℥ij. miſce, fiat julepus.

JULEPUS ASTRINGENS

In urgentibus hæmorrhoïdibus.

℞. Aquarum balauſtiorum & malicorii

ana ℥iij. boli armeniæ ʒß. ſucci urticæ ritè defœcati ℥ij. ſirupi cydoniorum ʒvj. miſce, fiat julepus aſtringens.

JULEPUS ASTRINGENS

Omnibuſque hæmorrhagiis dicatus.

℞. Aquarum plantaginis & roſarum rubrarum ana ℥iij. ſanguinis draconis g̃. xxv. aluminis rupei g̃. xv. ſirupi de roſis ſiccis ℥i. miſce, fiat julepus aſtringens.

Hic julepus mira præſtat in hæmophtiſi, in vomitu ſanguineo, in mictu cruento, hæmorrhagiis uteri, narium, & in aliis hæmorrhagiis. Bis in die præſcribi debet in immoderatâ hæmorrhagiâ manè & ſerò; ſed doſi ſerotinæ addendus ſemper eſt ſirupus de papavere albo, vel aliud narcoticum, niſi ad ſoporem vergat ægrotans.

JULEPUS ANTIEMETICUS.

℞. Aquæ menthæ ℥iv. ſalis abſinthii ℈i. ſirupi de limonibus ℥i. miſce, fiat julepus.

Magno cum ſucceſſu quàm pluries adhibitus fuit hic julepus, & tamquam ſpecificum habendus eſt in vomitu pituitoſo, ſed præſertim in vomitu qui in febribus putridis & malignis ſolet contingere. Verùm ſi huic julepo obſiſtit vomitus, ſanè hoc hauſtu curabitur.

℞ *Salis abſinthii* ℈i. *ſucci limonii cochlear* I. *miſceantur & peractâ fermentatione deglutiantur.*

In vomitu jam recenſito præſtantiſſimum eſt remedium ille hauſtus, teſtante *Riverio*, cui debetur hæc formula.

N. B. Aquam menthæ ventriculo ægrotantium ſæpè non arridere; hinc invito hoc julepo ſubſiſtit vomitus. Tunc aquæ menthæ præponenda eſt aqua cichorei, & curabitur vomitus.]

JULEPUS NARCOTICUS.

℞ Aquarum papaveris rheados & bugloſſi ana ℥iij. ſyrupi papaveris albi

à ʒiij. ad ʒvj. miſce, fiat julepus, exhibendus horâ ſomni.

Efficacior.

℞. Decocti capitis papaveris albi ℥vj. ſyrupi de nymphæa ʒvj. laudani opiatici gr. i. vel gr. i ß. miſce, fiat julepus, horâ ſomni exhibendus.

* Nullum adeſt in medicinâ præſtantius remedium his julepis narcoticis ad pacandos dolores, coërcendoſque uberiores ſpirituum influxus. Utuntur itaque his feliciter in morbis acutis, & chronicis, dum anxietate, dolore, & agripniâ laborant ægri; & pro ſpecifico habentur in colico dolore, & odontalgiâ. *

JULEPUS

Diureticus frigidus.

℞. Aquarum lactucæ & florum malvæ ana ℥iij ſucci parietariæ ritè defœcati ℥ij. ſyrupi de nymphæâ ʒvj. ſpiritus ſalis dulcificati gtt. viij. fiat julepus exhibendus manè & ſerò per triduum.

JULEPUS
Diureticus calidus.

℞. Aquæ herniariæ & decocti aſparagi ana ℥iij millepedum in clibano exſiccatorum ʒ ß. ſucci ſummitatum aſparagi ℥j. ſpiritus terebinthinæ gtt. xv. ſyrupi capillor. Veneris ℥vj. miſce, fiat julepus, manè & ſerò ſumendus per triduum.

* Dum de potionibus diureticis, patebit uſus horumce juleporum, & adnotabuntur caſus, in quibus feliciter præſcribi poſſunt. *

JULEPUS DIAPHORETICUS.

℞. Aquarum cardui benedicti & ſcabioſæ ana ℥iij. aquæ naphæ ʒij, pulvis viperæ gr. xv. aut ℈i. ſyrupi papaveris rheados ʒvj. miſce, fiat julepus, ſumendus horâ ſomni.

[Feliciùs ſuccedunt julepi diaphoretici, dum his adduntur narcotica.]

* Si hic julepus parùm ſit efficax, utendum erit pulvere cordis aut hepatis viperæ; verùm ſi his invitis

nullum effectum præſtet, huic addetur ſal volatile viperæ aut cranii humani à gr. x. ad. xx, vel ſpiritûs volatilis ſalis ammoniaci à gtt. x ad xx.

Julepi diaphoretici præſtantiſſimi ſunt in febribus malignis, in quibus ſanguis eſt valdè ſpiſſatus, quod cognoſcitur ſummâ virium depreſſione, frigiditate & pallore totius corporis, pectoris oppreſſione, pulsûſque depreſſione. Cavendum itaque eſt ne præſcribantur hi julepi in hâc febre malignâ, ubi ſanguis æſtuoſus & rarefactus eſt; hic ſanguinis ſtatus ab altero facilè diſtinguitur febre, calore, & corporis rubore. Plures tamen Medici in omnibus febribus malignis indiſcriminatim præſcripſere hos julepos diaphoreticos; ſed ſanè erraverunt; nam conveniunt tantùm in febribus malignis à causâ ſpiſſante, quæ rariſſimæ ſunt; licèt exordio febrium malignarum ſanguis ſæpè ſpiſſeſcat; nam dein evolutione ma-

teriei febrilis æſtuoſus evadit cruor; itaque cavendum eſt ne inconſultò præſcribantur.

Magno cum ſucceſſu adhibentur, dum madida ſit ægrotantium cutis, nam vergendo quò natura vergit, hanc levem evacuationem, ſeu madorem fovent ac adaugent, quò ſanguis humoribus crudis circulationem interturbantibus ſæpiſſimè purgatur.

Porrò in curatione rheumatiſmi, arthritidis, ſcrofularum, *Bronchoceles*, juſcula viperarum his julepis diaphoreticis ſunt præponenda. *

[In curatione illorum morborum inconſultò non ſunt præſcribenda viperarum juſcula; etenim in aliis aliquoties proſunt, in alteris verò ſemper nocent. Proſunt in rheumatiſmo, dum ſpiſſitudo, & viſcoſitas lymphæ, & humoris muſculorum ſynovialis acrimoniæ prævalet, ſecùs verò nocent. In bronchocele ratione cauſarum prodeſſe poſſunt, ſed rariſſimè; nam ordinariò debe-

tur ſcrofuloſo viru. In arthritide verò, pro quâ nulla adhuc detecta fuit medicina, ſemper noxia ſunt; ſtomachicis, lacticiniis, optimâ diætâ, vinique privatione breviores ac minùs frequentes evadunt paroxyſmi arthritidis. In ſcrofulis etiam nocent, eorum uſu adaugetur lymphæ acredo, & ferinæ fiunt conſequenter ſtrumæ, ſed hoc domatur viru, reſolvunturque ſtrumæ diuturno uſu millepedum, radicis chinæ, lactis caprilli & aſinini, ut pluries edocuit, & etiam edocet quotidiana obſervatio.]

JULEPUS

Ad vermes enecandos.

℞. Aquarum portulacæ & cichorei ana ℥iij. ſeminis contra vermes pulverati ʒß. confectionis de hyacintho ℈ij. ſirupi de limonibus ℥vi. miſce, fiat julepus, horâ ſomni dandus.

* Efficacior fiet hic julepus in illo caſu, ſi ante ſorbitionem ægro præſ-

cribantur , & ab eo deglutiantur gr. xxx. æthiopis mineralis , aut gr. xx. aquilæ alb. ſeu mercurii dulc. in conſervâ roſarum obvolutâ ; ſed tunc huic julepo addi non debet ſirupus de limonibus. *

CAPUT III.

DE POTIONE.

[POtio eſt medicamentum liquidum ex decoctione, infuſione, aut diſſolutione variorum ſimplicium & compoſitorum in liquore idoneo paratum, ad varias adimplendas indicationes. Varia eſt alterans ſcilicèt, purgans & emetica, de quibus ſigillatim agetur.]

ARTICULUS I.

De Potione alteranti.

* Potio alterans eſt verus julepus ex aquis ſtillatitiis cum confectionibus, oleis, pulveribus, ſuccis,

ſalibuſque paratus ; ſed nomine potionis inſignitur, quia ab ingredientibus turbidus fit.

Parantur potiones, quæ ſanguinem ſpiſſatum dividunt, diſſolutum incraſſant, & exſiccatum diluunt. Parantur & quoque potiones cardiacæ, ſtomachicæ, anthelminticæ, hiſtericæ, abſorbentes, diureticæ, diaphoreticæ. Præſcribuntur potiones ad partum juvandum, ſecundinas aut fœtum mortuum educendum, paroxyſmos nephriticos, arthriticos, aut epilepticos præcavendos ; tandem parari poſſunt potiones ad adimplendas eaſdem indicationes, quæ apozematibus & julepis adimpleri ſolent.

Notandum tamen eſt 1°. quòd rariſſimè parentur potiones ad ſanguinem dividendum, incraſſandum, diluendum ; in his caſibus apozemata, julepi, juſcula, aut ptiſanæ potionibus ſunt præponenda. Parantur tantùm potiones cardiacæ, ſtoma-

chicæ, anthelminticæ ſeu contra vermes, & hiſtericæ.

Notandum 2°. quòd potiones ut apozemata parari poſſint cum decocto partium variorum ſimplicium eamdem morbi indicationem adimplentium. *

POTIO CARDIACA

Ad vires reſtaurandas.

♃. Aquarum bugloſſi, & cichorei ana ℥iij. aquæ cinnamomi ℥ß. confectionis alkermes ʒi. ſalis viperæ gr. xij. miſce, fiat potio danda ſtatim.

Vel

♃. Aquarum bardanæ & florum aurantiorum ana ℥iij. aquæ cinnamomi ℥ß. confectionis alkermes ʒi. ſalis viperæ gr. xij. miſce, fiat potio ſtatim danda.

[POTIO

Ad vires reſtaurandas efficacior.

♃. Aquarum cardui benedicti & naphæ ana ℥iij. aquæ cinnamomi ʒiij. theriacæ veteris & confectionis alker-

mes ana ʒi. lilii Paracelſi gtt. xxx. ſalis volatilis viperæ gr. x. miſce, fiat potio cardiaca, ſtatim danda.]

* Potiones cardiacæ conveniunt in illâ ſummâ pulſûs depreſſione, ac virium imbecillitate, quæ in morbis acutis, malignis, ac in chronicis obſervantur; proſunt in ſyncope, dum à ſanguinis ſpiſſatione ac coagulatione exoritur in partu longo, ac laborioſo, & tum ſali viperæ ſubſtitui debet ʒß. trochiſcorum mirrhæ.

[In omni partu longo & laborioſo non conveniunt potiones cardiacæ; nam ſæpiſſimè ob nimiam vaſorum repletionem & diſtentionem opprimuntur vires, inanes quanquam vividos dolores ſeu partûs ſtimulos patiuntur parturientes; tunc venæ ſectione tantùm acceleratur partus. Porrò ille parturientium ſtatus noſcitur ex temperamento, faciei colore, pulſu pleno aut parvo, & tenſo.]

In ventriculi languore conveniunt

ad eum corroborandum, & ad dividendum illum humorem glutinoſum, parietibus ventriculi adhæreſcentem, qui continuò irritando ventriculum lypothimias ſæpè accerſit. Notandum tamen eſt potiones emeticas eſſe potionibus cardiacis tutiores ac efficaciores ad hunc ultimum effectum præſtandum. Conveniunt etiam potiones cardiacæ in cholerâ-morbo, & in illo morbo nomine vaporum inſignito.

[Potiones cardiacæ in illis ultimis morbis inconſultò ſanè non ſunt præſcribendæ, nam illos exaſperant morbos, ut quotidiana edocet obſervatio, dum imperitâ manu hæc præſcribuntur. In cholerâ morbo (qui vividæ irritationi ventriculi & inteſtinorum debetur, & qui à peritis ſublevatur venæ ſectione, dum viget pulſus, & ſuadent tormina ventris, ptiſanis & enematibus demulcentibus & narcoticis largâ manu præſcriptis) adhibentur cardiaca; dum

extrema frigent, ſudor apparet frigidus, pulſus nullus, convulſivi motus exſurgunt; ſed tunc maritanda ſunt cardiaca cum narcoticis & cochleatim ægro ſunt exhibenda v.g. ſub ſequenti, aut conſimili formulâ.

℞. Aquarum cichorei & cardui benedicti ana ℥iij. aquæ naphæ ℥i. theriacæ recentis, confectionis alkermes, & diaſcordii Fracaſtoris ana ʒi. laudani liquidi gtt xl. miſce, fiat potio cardiaca & narcotica cochleatim ſumenda.

Huic potioni cardiacæ addi poſſunt lilii Paracelſi guttæ aliquot, aut grana aliquot pulv. viper. dum ſymptomata jam enarrata, mortiſque ſemper prænuntia majora evadunt.

In vaporibus cardiaca non conveniunt niſi paroxyſmi tempore, nam extra paroxyſmum diluentia, edulcorantia cum ſtomachicis & levibus aperientibus ſociata, in uſum ſunt vocanda. Dum itaque

vaporum paroxiſmus cardiaca expoſtulat, ſub conſimili formulâ tunc præſcribenda ſunt.

℞. Aquarum cichorei & naphæ ana ℥ij. theriacæ veteris ℈ij. tincturæ caſtorei gtt. xx. miſce, fiat potio cardiaca ſtatim ſumenda.]

Ut cardiaca ſuccos viſcoſos in ventriculo & inteſtinis latitantes exagitant tantùm ac dividunt, quin ullo modo eorum exitum provocent, timendum ſummè eſt ne illi ſucci exagitati ac diviſi in ſanguinem tranſeant, eum ſpiſſent, febremque accendant: quapropter dum in cardialgiis à ſaburris ventriculi, in languore ventriculi à ſuccis viſcidis, præſcribuntur cardiaca, multùm confert poſt unam aut alteram à cardiacis horam præſcribere emeticum; nam à cardiacis roborato ventriculo, & ab eis diviſis atque exagitatis ſuccis viſcidis, vomitus facilè peragitur, faciliùſque rejiciuntur noxia. *

[*POTIO CARDIACA*
Cochleatim ſumenda.

℞. Aquarum cardui benedicti, ſcabioſæ, & naphæ ana ℥ij. aquæ cinnamomi ʒij. confectionis alkermes & de hyacintho ana ʒi. antimonii diaphoretici ʒß. lilii Paracelſi gtt. xxx. miſce, fiat potio cardiaca cochleatim ſumenda.

Hæc potio cardiaca multùm confert in morbis acutis, dum vires vitales exſuſcitandæ ſunt, ſanguiſque attenuandus, ut ſæpè evenit in febribus putridis, malignis, morbiſque inflammatoriis.

N. B. Quod nullum adſit cardiacum præſtantius lilio *Paracelſi*, dum adeſt indicatio vires vitales cito exſuſcitandi. Lilium *Paracelſi* partes internas non adurit, nec ullum fervidum caloris ſenſum poſt ſe relinquit, ut ſomniavere plures Chymici, illud enim comprobatur clynicorum obſervatis. Lilium *Paracelſi* particulis ſuis parvis ſed duriſſimis in

in ſanguinem per poros, aut vaſa abſorbentia citò penetrantibus, citò vaſa ſtimulat, ſanguinem dividit, vireſque vitales citò exſuſcitat. Doſis lilii determinari præcisè nequit; nam quò magis depreſſæ ſunt vires vitales, eò major lilii *Paracelſi* doſis eſt præſcribenda.

POTIO CARDIACA

In febrium algore.

℞ Aquarum cardui benedicti & naphæ ana ℥iij. aquæ cinnamomi ℥ß. theriacæ veteris ʒi. caryophyllorum pulveratorum gr. x. lilii Paracelſi gtt. xl. miſce, fiat potio cardiaca pro duplici doſi in algore febrili propinanda.

Hæc convenit potio in rigore & algore, quibuſcum ſæpiſſimè ingruunt febriles acceſſus & febres putridæ & malignæ. Verùm dum hæc potio nec ſufficiens nec ſat efficax eſt ad imminuendum algo-

rem ; ita ut algoris effectus majores ſenſim videantur ; ne ob nimiam ſanguinis ſpiſſationem pereat æger, præſcribenda ei ſunt gr. xv. ſal. volat. viper. quæ ab eo ſunt deglutienda cum uno aut altero aquæ naph. cochleari ; & potioni præſcriptæ, quæ tunc cochleatim eſt exhibenda, addenda ſunt ſalis volatilis viperæ aut cornu cervi gr. xij. aut ſpiritûs ſalis volatilis viperæ, aut cornu cervi, aut ſalis ammoniaci gtt. xx.

POTIO CARDIACA

In ſummâ pulſûs depreſſione à terrore.

℞. Aquarum cardui benedicti & naphæ ana ℥iij. theriacæ veteris ʒi mumiæ pulveratæ ʒß. lilii Paracelſi gtt. xxx. miſce, fiat potio ſtatim ſumenda.

Hæc potio felici cum ſucceſſu præſcribitur in illâ ſummâ pulſûs depreſſione, quæ poſt terrores & magnas contuſiones obſervatur.]

POTIO
Ad ſtomachum debilitatum.

℞. Aquarum cichorei & naphæ ana ℥iij. ſeminis contrà pulverati ʒß. kinækinæ in alkool redactæ ʒi. ſalis abſinthii ℈i. confectionis de hyacintho ʒi. ſirupi de abſinthio ℥i. miſce, fiat potio ſtatim ſumenda.

* Hæc potio mira præſtat in debilitate ventriculi, in cardialgiis à materiis verminoſis, quæ cruditatum ventriculi, & fermentationis fructuum immaturorum præpoſterè deglutitorum proles ſunt; miraque præſtat in vomitibus acidis, in nauſeis, febrium intermittentium reliquiis, in cholerâ morbo ſuppreſſo poſt actionem emetici: hic enim morbus à ſuccis viſcoſis & corroſivis parietibus ventriculi adhæreſcentibus producitur, qui ſpatio viginti-quatuor horarum gangrænam ventriculo ſæpè accerſunt: hinc primò actione emetici à parietibus ventriculi evellendi ſunt illi ſucci corroſivi, & partim evacuandi; dein

potione ſtomachicâ textus eorum ſulphureus eſt diſſolvendus, eorum ſalia retundenda, eaque abſorbenda. *

[In ſummâ ventriculi irritatione à ſuccis viſcidis, & corroſivis, parietibus ventriculi adhæreſcentibus inconſultò emetica non ſunt præſcribenda; gangrænâ enim citò ventriculus corriperetur. Satius itaque eſt hos ſuccos diluere, eorum acrimoniam retundere ptiſanis diluentibus & edulcorantibus largo hauſtu epotatis, quo peracto benigna cathartica ad eorum excretionem promovendam erunt exhibenda; dein potio ſtomachica, ut tonus ventriculi integrè reſtituatur.

POTIO

Ad partum juvandum.

℞. Aquarum artemiſiæ, matricariæ & naphæ ana ℥ij. aquæ cinnamomi ℥ß. theriacæ veteris, & confectionis alkermes ana ʒi. macis pulverati gr. xv. trochiſcorum mirrhæ gr. xxv. elixirii

proprietatis Paracelſi gtt. xxx. miſce, fiat potio cochleatim ſumenda.

Dum in partu laborioſo ac longo tardè & languidè perſentiuntur partûs ſtimuli; faciei pallor, pulſus parvus & debilis obſervantur, exhibenda eſt parturientibus hæc potio, quæ ſanguinem exagitando, circulationemque accelerando in omnibus partibus, ſed præſertim in uteri textu, partum adjuvat & accelerat. Verùm ſæpè parturientium vires franguntur, inaneſque fiunt partûs ſtimuli, vel ob pravam genitalium conformationem pravumque oris uteri ſitum; vel ob præternaturalem fœtûs partium poſituram, ſeu ſitum, cujus caput naturali lege ejus exitum moliri debet. In his cicumſtantiis potiones partum citantes inanes ſanè fiunt abſque obſtetricis aut chyrurgi obſtetricantis auxilio.

Nota 1°. elixirium proprietatis *Paracelſi* eſſe præſtantiſſimum auxilium ad partum juvandum, dum à

virium languore fit laborioſus & difficilis ; felici itaque eventu in partu laborioſo identidem exhibentur parturientibus guttæ aliquot illius elixirii in cochleare vini generoſi aut aquæ naphæ. Pro parturientibus delicatulis elixirium *garu*, quod eſt elixirium proprietatis *Paracelſi* diſtillatum, & ſirupo capill. veneris edulcoratum, ſubſtitui, & præponi debet Paracelſi elixirio.

Nota 2°. medicamentis partum excitantibus diutiùs non eſt inſiſtendum, ne excluſo fœtu, immoderata lochia appareant, vividos dolores colicos uteri patiantur puerperæ, ut evenit dum imperitâ manu medicamenta partum juvantia præſcribuntur.

Inſuper hæc potio convenit etiam ad ſecundinas retentas expellendas, fœtumque mortuum educendum, dum vires valdè languidæ ſunt, & inſufficiens eſt ars obſtetricandi, quæ in his circumſtantiis tutum mulieribus præbet auxilium.

POTIO SUDORIFICA.

℞. Aquarum cardui benedicti & ſcabioſæ ana ℥iij. theriacæ veteris ʒi. pulveris viperæ ʒß. bezoar. mineralis gr. xx. aquæ cinnamomi ʒij. miſce, fiat potio ſtatim danda.

Hæc potio prodeſt in difficili variolarum eruptione à ſanguine craſſo & ſpiſſo, in febribus malignis à ſanguinis ſpiſſatione, in anthrace, ſed tunc addi debet lilium Paracelſi, aut ſpiritûs volatilis viper. aut ſal. viper.

POTIO SUDORIFICA

In Pleuritide.

℞. Aquarum borraginis & naphæ ana ℥iij. confectionis alkermes ʒi. antimonii diaphoretici, & ſanguinis hirci ſilveſtris ana ʒß. miſce, fiat potio ſudorifica.

In pleuritide & peripneumoniâ feliciter exhibetur potio ſudorificâ; dum, cum madore cutis, alia ſigna futuræ criſis per ſudorem apparent;

nam, copioſo excitato ſudore, ſæpiſſimè ſolvuntur hi morbi. In peripneumoniâ felici cum ſucceſſu quartâ quâlibet horâ exhibetur ſuccus borraginis per reſidentiam depuratus ab ℥i. ad ℥iij. hic ſuccus ſanguinem leviter attenuat, ſputorum ejectionem juvat, ſudorem ſæpè movet, & infarcta inflammatoria reſolvit; hinc ſatius eſt dum in hoc morbo indicantur ſudorifica, ſub iſtâ formulâ ea præſcribere.

℞. Succi depurati borraginis ℥ij. antimonii diaphoretici & ſanguinis hirci ſilveſtris ana gr. xx. miſce, fiat potio danda horis medicis.

Verùm ut tutior ac citior ſit ſudorificorum effectus, cùm eis ſemper eſt ſociandum aliquod narcoticum, modò nulla adſit contraindicatio pro narcotico.

Hâc potione ſemel excitato ſudore, hæc cutanea excretio eſt ſuſtentanda largo potu leviter calido ptiſanæ foliorum borraginis, bugloſſi,

aut papaveris rheados, aut capillorum veneris, donec illa excretio levamen notabile attulerit, aut morbum ſolverit.]

POTIO

Ad vermes enecandos.

℞. Aquæ portulacæ & decocti graminis ana ℥iij. confectionis de hyacintho ʒi. ſeminis contra vermes ʒß. olei amygdalarum dulcium ℥i. ſirupi de limonibus ʒvi. miſce, fiat potio ſtatim ſumenda.

* Efficacior fiet hæc potio, ſi ante potionem æger deglutiat gr. xxx. æthiopis mineralis, aut mercurii dulcis gr. xx. cum conſervâ roſarum obvoluta; quorum doſis ratione ætatis in infantibus eſt minuenda.

N.B. Dum ante potionem æger deglutit grana aliquot æthiop. mineral. aut aquil. alb. huic potioni addi non debet ſirupus de limonibus, ut dum de julepis anhtelminticis notavimus.

Potiones hiſtericæ eædem ſunt ac ſtomachicæ ; exiſtimamus enim paſſionem hiſtericam non à vitio uteri exoriri (ut plures exiſtimavere) ſed eſſe prolem perverſæ digeſtionis alimentorum in ventriculo cruditatibus obruto, quæ in ſanguinem tranſeundo eum ſpiſſant ; ita ut ſanguis ſpiſſatus pulmones difficilè permeat, ſuffocationes, cordis palpitationes, imò & ſyncopem procreat. Verùm dum levis eſt ſanguinis ſpiſſatio, in cerebro, ob ejus mollitiem, ingraveſcit tantùm cruor, ſæpèque hæret ; hinc ſenſûs ac rationis perturbatio, & etiam ſenſuum omnium privatio, ut in epilepſiâ : nam eodem tempore in diverſis partibus obſervantur motus ſpaſmodici, aut convulſiones, quæ ſero acri ab illo ſanguine ſpiſſato & in cerebro lenteſcente ſecreto debentur.

Illud enim ſerum cum ſpiritibus animalibus permixtum eos perturbat, hoſque inordinatos motus procreat.

Conſtat obſervatione mulieres ante hiſteriæ paroxyſmum de dolore ventriculi gravativo conqueri, & vomitu ſæpè corripi, imò & poſt paroxyſmum; quòd comprobat vitiari ventriculum, & à perverſis digeſtionibus exoriri hiſteriæ paroxyſmos.

Verùm ut quotidiè obſervamus hiſtericos paroxyſmos mulieres ſæpè adoriri, dum vitiosè fluunt catamœnia, vel in eorum remorâ aut ſuppreſſione, plures exiſtimaverunt paroxyſmos hiſtericos ab uteri vitio naſci, ſed perperam; nam abſque ullo uteri vitio mulieres ſæpiſſimè corripiuntur hiſteriæ paroxiſmis: ſed in illis circumſtantiis paroxiſmi hiſteriæ adoriuntur mulieres, quod à ſucco, & ſanguine uterinis quolibet menſe excernendis, à vitio uteri retentis, & maſſæ ſanguineæ remixtis, pertubentur omnes corporis functiones, & ab eis ſummoperè perturbatis digeſtionibus, cruditates in ventriculo enaſcantur, quæ in ſan-

guinem tranſeundo paroxyſmos hiſtericos accerſunt: prætereà à ſanguine ſic inquinato facilè in cerebro ſecernitur ſerum ſalſuginoſum ad perturbandos ſpiritus animales aptiſſimum. Ex his itaque facilè liquet potiones hiſtericas eſſe præcisè reducendas ad potiones ſtomachicas,& ad eas quæ in epilepſiam præſcribemus. *

POTIO AD EPILEPSIAM.

℞. Aquarum betonicæ & meliſſæ ana ℥iij. radicis pæoniæ maris pulveratæ ʒß. ſirupi de herniariâ ℥ß. fiat potio danda ſubitò.

POTIO DIURETICA

In ſuppreſſione urinæ.

℞. Aquarum lactucæ & parietariæ ana ℥iij. ſpiritûs ſalis ritè præparati gtt. x. ſirupi de nymphæâ ℥ß. miſce fiat potio ſtatim danda.

Alia ſimilis efficacior.

℞. Aquæ liliorum ℥iij. olei amygdala-

rum dulcium ſine igne parati ℥ij. ſucci limonii ʒvj. ſirupi violarum ℥ß. miſce, fiat potio.

* In curandâ *Iſchuriâ* ſive urinæ ſuppreſſione, initio ſemper præſcribenda ſunt remedia, quæ uberiorem urinæ valdè ſeroſæ, partibuſque terreis parùm onuſtæ ſecretionem promovere poſſunt; ut ab ea rapiantur arenulæ, quæ tunc majori partium terrearum appulſu majorem molem adipiſci, ac morari incipiunt, vel in tubulis uriniferis, vel in papilloſâ ſubſtantiâ, vel in pelvi. Spiritus ſalis ritè præparati, ſuccuſque limonum ſuperiùs præſcripti eam attingunt metam: nam urinam coagulando uberiori urinæ limpidiſſimæ ſecretioni anſam præbent, quæ renes abluit, ac rapit materias arenoſas in eis impactas. Ea etiam pharmaca fauſtum effectum producunt, æſtum ſanguinis compeſcendo, fermentationemque minuendo: tunc enim ſanguis ſubſtantiam renum fa-

ciliùs permeat, in eis non hæret, eoſque nec diſtendit nec tumefacit, quod neceſſariò eveniret, ſi vaſa ſanguinea nimis diſtenta forent: quia ab arenulis in ſubſtantiâ tubuloſâ, vel papilloſâ impactis vaſa renum ſanguinea à ſanguine æſtuoſo & rarefacto diſtenta ac tumefacta faciliùs premerentur; præſertim venæ quæ circa papillarum baſim ſpeciem retis admirabilis efficiunt. Eodem ſanè rationis momento venæ ſectiones & balnea mira præſtant in *iſchuriâ* ſeu urinæ ſuppreſſione. Inſuper potionibus ſuperiùs præſcriptis hæc ſingularis vis ineſt, ut arenulas frangant, urinamque limpidiorem efficiant; notum eſt enim chimicis ab acidis corpora dura diſſolvi, pinguiaque coagulari. His potionibus non ſolùm denſatur ſanguis, ſed etiam pars terrea ſanguini commixta, & arenulæ in renibus impactæ, ab eis in minimas moleculas faciliùs dein textum renum tranantes diſſolvuntur. Hoc

enim probatur hâc evidenti experientiâ, quòd acida fixa urinam limpidam reddant, dum alkalina turbulentam faciunt. Conſtat experientiâ in nephritide non convenire activa aperientia; nam ab eis ita vividè commovetur cruor, ut ſerum pravis moleculis conſpurcatum, in parte ſulphureâ incarceratum faciliùs dein ſecernatur, & ut ab eo efformatur urina (vera ſanguinis lixivia) hic humor in renibus turbidus ac arenoſus ſecernitur, conſequenter aptiſſimus ad renes obſtruendos, in eiſque calculos efformandos. Dum è contrà refrigerantia concitant ſecretionem urinæ limpidiſſimæ, nullo ferè ſedimento tartareo contaminatæ omnia aquoſa pharmaca, quæ diluentia à Medicis dicuntur, valdè proficua ſunt in renum obſtructionibus. Talia ſunt aquæ minerales acidulæ, ſerum lactis, ptiſanæ, juſcula refrigerantia, & potiones ſuperiùs præſcriptæ. Obſtructis renibus, in ſan-

guinem redundat urina, quæ nunc in cerebro, nunc in pectore, nunc in ventriculo coacervatur; nunc ſopores, nunc pectoris oppreſſiones, nunc vomitus urinoſos procreat. In his circumſtantiis nituntur Medici urinam noxiam debitis & appropriatis catharticis per alvum evacuare, ſed ſæpè incaſſum; unde urina diutiùs in ſanguine commorans, ſalibus acribus volatilibus, quibus ſcatet, maſſam purpuream omninò reſolvit, in ſerum brevi abituram, & gravia ſymptomata advocat, quæ brevi ægrotantem interimunt: tunc temporis non eſt cunctandum, tempus urget, periculum eſt in morâ, non ampliùs ſecernitur urina, nec viis aſſuetis excernitur, & urina in ſanguine ubique redundat. Incaſſum adhibita fuere refrigerantia, nunc activa & fortiora aperientia ſunt præſcribenda, quæ ſanguinem valdè commovendo, & uberiorem ſed turbidam urinæ ſecretionem concitando, renes

obſtructos expedire, viamque urinæ ſternere poſſunt. *

POTIO DIURETICA CALIDA.

℞. Decocti ſummitatum aſparagi, aut decocti radicum aſparagi & petroſelini ℥vj. millepedum in clibano exſiccatorum & pulveratorum ʒß. ſpiritûs terebinthinæ gtt. x. miſce, fiat potio ſtatim danda.

Ad eumdem ſcopum.

℞. Aquarum florum malvæ & fabarum ana ℥iij. ſucci petroſelini, & chærefolii ℥ij. ſalis tamariſci ʒß. ſirupi de abſinthio ℥ß. miſce, fiat potio ſtatim danda.

* Numquam ex decocto parantur potiones alterantes; julepi ex decocto eis ſubſtitui debent: attamen ſubſequenti & æquali formulâ parari ac præſcribi poſſunt. *

POTIO

Contra vermes ex decocto.

℞. Foliorum portulacæ & cichorei ana

m. ß. ſummitatum abſinthii minoris p. j. foliorum perſicæ p. ß. coque ad ℥vj. in colatura diſſolve ſirupi de limonibus ℥vj. fiat potio quæ detur horâ commodâ.

Articulus II.

De Potione purgante.

POTIO PURGANS BLANDA.

℞. Mannæ electæ ℥ij. diſſolve in juſculo borragine & lactucâ alterato, colaturæ adde pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥i. fiat potio manè danda.

Vel

℞. Pulpæ caſſiæ recenter extractæ, & ſirupi de cichoreo compoſiti ana ℥i. dilue in aquæ papaveris rheados ℥vj.

Vel

℞. Sirupi de cichoreo compoſiti ℥i. rhei electi ℈i. vel ʒß. cum paucâ aquæ cichorei copiâ fiat potio manè danda, & exhibenda per hebdomadas alternis diebus.

Maximè prodeſt alvi fluxui & ad ſtomachum roborandum, deturban-

do nempè per ſeceſſum pravos ſuccos ſtomachi tunicas aggravantes, & alimentorum coctionem adulterantes.

Vel

℞. Rhei electi ʒi. roſarum rubrarum p. i. infunde ad ℥viij. in colaturâ diſſolve mannæ calabrinæ ℥ij. fiat potio.

POTIO PURGANS MEDIOCRIS.

℞. Foliorum cichorei & borraginis ana m. ß. tamarindorum ʒvj. coque ad ℥viij. in quibus infunde rhei electi ʒi, in expreſſione diſſolve ſirupi roſarum ſolutivi compoſiti ℥i. fiat potio.

Vel

℞. Sennæ mundatæ ʒij. rhei electi ʒi. ſummitatum abſinthii minoris p. ß. ſalis tartari gr. xij. infunde ad ℥viij; in colaturâ diſſolve mannæ electæ ℥i. aut ℥ij. fiat potio.

Vel

℞. Sennæ mundatæ ʒij. pulpæ caſſiæ ℥i. ſalis prunellæ ʒß. infunde in decocti cichorei, agrimoniæ, & tamarindorum ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi florum perſicorum ℥i. fiat potio.

POTIO PURGANS FORTIS.

℞. Sennæ mundatæ ℥iij. rhei electi ʒi. ſalis abſinthii ℈i. roſarum rubrarum p. i. infunde ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de cichoreo compoſiti ℥i. & dein adde jalapæ pulveratæ gr. xv. fiat potio quæ detur manè.

Vel

℞. Sennæ mundatæ ʒiij. rhei electi ʒi. tamarindorum pinguium ʒvi. coque & infunde, ut artis eſt, ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi roſarum ſolutivi compoſiti ℥i. & dein adde diagridii gr. viij, fiat potio.

Vel

℞. Sennæ mundatæ ʒiij. ſalis tartari ℈ß. infunde ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de Pomis Regis Saboris ℥i. dein adde extracti hellebori nigri ℈i. fiat potio manè ſumenda.

Vel

℞. Sennæ mundatæ ʒiij. tartari ſolubilis ʒi. bulliant in aquâ fontanâ ad ℥viij. in colaturâ diſſolve electuarii diacarthami, aut de citro ʒiij. fiat potio.

Vel

[℞. Sennæ mundatæ ʒij. rhei electi ʒi.

ſalis polychreſti ʒij. ſeminis contra vermes p. j. infunde, ut decet, in aquâ fontanâ ad ℥viij. colaturæ dein adde ſirupi de rhamno cathartico ℥iß. fiat potio cathartica.

Hæc potio cathartica, & aliæ fortes ſuperiùs præſcriptæ proſunt his, qui hydrope laborant, in quantum evacuant ſerum ſuperfluum cum partibus mucilaginoſis ac globulis purpureis malè permixtum, & vaſa lymphatica aliquatenùs reſerant.

Iiſdem rationum momentis variis hydropis ſpeciebus multùm confert remedium vulgò *arabicum* dictum, modò ut peritâ manu præſcribatur.

Hoc remedium ab aliquot annis Lutetiæ promulgatum fuit à quodam empirico qui à medico arabico ſe gratis accepiſſe gloriabatur; ſed ſumma adeſt ſuſpicio illum empiricum hoc pharmacum mutuatum eſſe ex libro D. *Dovar* anglici & doctoris medici, cujus titulus eſt: *Legs d'un Médecin à ſa patrie*, in quo optima

remedia, & pro curandis morbis optimæ, ac methodicæ agendi rationes reperiuntur.

Remedium arabicum ſummâ in famâ fuit Pariſiis, quia feliciter ab illo empirico præſcriptum fuit D. *Heraud* diſciplinæ politicæ Lutetiæ ſummo præfecto qui aſcite tentababur, & dein in hac urbe etiam feliciter ad curandum clariſſimum *Sarret de St. Laurent* clericum hydrope laborantem.

N. B. Illud remedium cùm cautâ manu non præſcribitur, copioſiſſimas per alvum evacuationes excitando, ſanguinem aliquoties nimis exſiccare, ita ut ſanguis fiat acris & dein aptiſſimus ad exulcerationes in variis partibus, præſertim in tibiis inducendas, curatu difficiliores, quod non ſemel obſervavimus.

Sic paratur hocce remedium.

℞. Antimonii crudi in alkool redacti, croci martis aperientis ſulphure parati	ana ℥i.

Scammonii in pulverem tenuiſſimum redacti ℥ij. ſirupi de limonibus ℥xxv. miſce, fiat remedium vulgò *arabicum* dictum.

Juxta hunc empiricum ægrotantibus præſcribi debet illud pharmacum ad cochlearia duo manè jejuno ventriculo ; ſed illa doſis pro ægrotantium viribus, ætate & temperamento imminui aut adaugeri poteſt ; nam cochlearia duo hujuſce remedii continent

Antimonii crudi & croci martis aperientis	ana g̃. xxv.
Scammonii - - -	℈ijß.
Sirupi de limonibus	℥i & g̃. xx.

Quamquam vis ſcammonii ſirupo de limonibus fracta ſit, attamen minuenda doſis ; dum timet Medicus ne ab eo nimis ac diutiùs irritentur inteſtina, unde *hypercatharſes* quas ſæpè procreat remedium *arabicum*, dum imperitâ manu præſcribitur.]

* Sæpè cathartica nonnullis ægrotantibus tantam moleſtiam, tanta-

que dolorum tormenta inferunt, ut in cardialgias, lypothimias, ſyncopeſque labantur, & ſæpè cum ſummo periculo vitæ. Ut itaque præcaveantur hæc ſymptomata, in potione catharticâ, diſſolvendum eſt gr. i. aut gr. i ß. laudani opiatici [vel infundenda, aut leviter decoquenda, vel diſſolvenda ſunt cathartica in decocto capitis papaveris;] ſic præcaventur ventris tormina, & alia ſymptomata ab eis pertimeſcenda, quin effectus potionis catharticæ inhibeatur, aut imminuatur. Hæc methodus miros præſtat effectus in vividis doloribus colicis, & in ſummâ ventriculi ac inteſtinorum teneritate, dum indicata ſunt cathartica. Ad eumdem ſcopum præſcribi poterit duabus poſt potionem catharticam horis cyathus ſeri lactis ad ℥x, qui eſt iterandus ſemi horâ poſt primum, & ſemi horâ poſt ſecundum tertius erit etiam propinandus; ſic præcavebuntur gravia

via ſymptomata, quæ in quibuſdam temperamentis cathartica ſæpè concitant. Perdifficile quidem eſt hos moleſtos ac dolorificos catharticorum effectus prævidere ratione temperamentorum, utpotè quòd adſunt *cholerici* quorum alvus *mochlicis* tantùm movetur, dum ratione temperamenti, benigna ac levia cathartica eis ſunt præſcribenda. Cùm itaque potio cathartica primùm præſcribenda eſt, ſemper levis & benigna eſt primò præſcribenda, & dein fortior, ſi nullus, tardus, aut inſufficiens ſit hujuſce potionis prioris levis ac benignæ effectus.

N. B. Sæpiſſimè contingit eos quorum alvus difficilè movetur, non efficaciùs purgari forti potione catharticâ, imprimis melancholici ac ſanguinei temperamenti: ſed ut apud eos alvina excretio faciliùs concitetur, ii ſunt purgandi ad duos aut tres cyathos, ut v. g. *

℞. Sennæ mundatæ ℥ß. tamarindorum

pinguium ℥i. ſalis prunellæ ʒi. coque in ſ.q. aquæ fontanæ ad cyathos tres; in colaturâ diſſolve ſirupi florum perſicorum & mannæ calabrinæ ana ℥iß. capiatur 1us. cyathus horâ ſextâ matutinâ, 2us. octavâ, 3us. decimâ horâ.

Vel

[℞. Polipodii quercini ℥ß. coque, ut decet, in aquâ fontanâ pro duobus cyathis, dein per noctem infunde ſennæ mundatæ ʒij. florum perſicorum p. i. manè cola, & in primo diſſolve mannæ calabrinæ ℥ij. in ſecundo mannæ calabrinæ aut ſirupi de cichoreo compoſiti ℥i. fiat potio cathartica.]

* Rariſſimè purgandæ ſunt prægnantes & puerperæ, & tantùm purgandæ cum rheo & ſirupo de cichoreo compoſito : intereà tamen non pertimeſcendum emeticum, ubi caſus exigit, nullâ habitâ fœtûs ratione.

Unâ poſt nativitatem horâ, recens nati purgari debent cum ſirupi de cichoreo compoſiti ʒij, aut tantùm cum mellis roſati ℥iij, ad deturbandum per ſeceſſum *meconium*, quod ſanè gravia concitaret ſymptomata,

ſi diutiùs retineretur, vel nimis inteſtinalem tubum irritando, aut in ſanguinem tranſeundo. Itaque ne *meconio* alteretur lac, multùm prodeſt recens natis mammas non admovere, ni ſecundâ aut tertiâ poſt nativitatem horâ.

[Recens natis non eſt denegandum *coloſtrum*, ut inconſultè volunt nonnulli; nam illis non noxium eſt, ut autumant mulierculæ, ſed valdè proficuum, in quantum recens natis pabulum, eorum ventriculo *meconio* conſpurcato accommodatum ſuppeditat; nam indole ſuâ valdè ſeroſâ *papaverculum* diluit, & ejus citiorem excretionem promovet.]

Quinto nativitatis menſe purgantur lactentes cum ℥ß. ſirupi de cichoreo compoſiti, aut ſirupi roſarum ſolutivi, aut ſirupi florum perſicorum, quibus adduntur, ut liquidiores ſint, cochlear 1 aut ij aquæ cichorei; eis etiam addi poſſunt grana quatuor aut ſex rhei pulverati. A

quarto nativitatis menſe ad primum annum purgantur infantes cum ℥ß ſirupi de cichoreo compoſiti dilutâ in tribus cochlearibus infuſionis ſennæ. In eis etiam diſſolvi poteſt mannæ calabrinæ ℥ß. ac addi rhei electi pulverati gr. viij. dum tarda ac inſufficiens eſt alvina excretio.

Ab anno nativitatis primo uſque ad ſecundum adaugenda eſt catharticorum doſis, & ſubſequenti modo purgandi ſunt pueruli. *

℞. Sennæ mundatæ & ſeminis contrà ana p. i. infunde in aquæ fontanæ ℥iij. in quibus diſſolve mannæ calabrinæ electæ ab ℥ß ad ℥i. ſirupi de cichoreo, aut roſarum ſolutivi, aut florum perſicorum, aut alterius purgantis ℥i. fiat potio quæ detur cochleatim.

* Si alvum ſufficienter non movet hæc potio, poſſunt addi jalappæ gr. iv, vel vj, vel viij ad ſummum.

[In illâ tenerâ ætate rarò præſcribenda eſt radix jalappæ quæ ob

partium puerulorum teneritatem, & exquiſitiorem inteſtinorum ſenſum inflammationem, exulcerationem harumce partium concitare poſſet. Verùm dum radix jalappæ apud pueros indicata eſt ob conſtitutionem cachecticam, ei debet ſubſtitui radix *mechoacan*, quæ abſque tantâ irritatione ſerum ſuperfluum per ſeceſſum evacuat. Hæc radix *mechoacan* jalappæ etiam præponi debet in delicatulis adultis, dum ſerum ſuperfluum eſt eliminandum.]

Repetitis vicibus, & non uno hauſtu ſorbere debent potiones catharticas pueruli; nam aliter brevi poſt eas vomitu rejiciunt. Poſt ſecundum nativitatis annum eadem cathartica pueris præſcribuntur ac adultis, ſed doſi ætati ſemper accommodatâ. Multùm prodeſt infantium movere alvum decem aut duodecim diebus, poſtquam ab uberibus remoti fuere, ut exoneretur ventriculus lacte fortè acido quod tunc

concoctionem aliorum alimentorum ſanè perverteret. Perneceſſarium etiam eſt ſemel in menſe per aliquod tempus purgare infantes, dum alimentis ſolidioribus uti incipiunt; etenim ob fermenti gaſtrici debilitatem cruditates in ventriculo ſæpè enaſcuntur, quæ vermibus natales præbent, alvi fluxus concitant, febres accendunt, inſultus epilepticos procreant, & eruptionem dentium perdifficilem reddunt; hæc autem ſymptomata cathartico ſæpè iterato præcaventur.

Articulus III.

De Potione emetica.

EMeticum quod feliciùs ſuccedit, & leviorem caloris ſenſum acceſſit, eſt ſanè vinum emeticum, quod paratur cum ℥iij. croci metallorum in pulverem redacti, & ℔. iij. vini albi ritè defœcati. Hæc per tres aut qua-

tuor dies in lagenâ benè obturatâ infundi debent, lagenam identidem exagitando ; vinum dein ſupernatans limpidum exhibetur ab ℥i. ad ℥ij : quandoque etiam turbidum præſcribitur, quod fit agitando lagenam, præſertim in enematibus ad exſuſcitandos ægros gravi affectu ſoporoſo detentos ab ℥ij ad ℥iv. Hæc præparatio emetica aliis emeticis præparationibus eſt præponenda : attamen feliciter utuntur Medici ſirupo *glauberiano*, & tartaro emetico.

[Sirupus *glauberianus*, ſeu *extractum vomitivum Glauberi* virtutem emeticam mutuatur ex floribus antimonii, & ſubſequenti modo parari ſolet.

℞. Flor. antimonii ℥i. cremoris tartari ℥ij ſacchari candi ℥vj. probè hæc pulverata commiſceantur ſimul in matracio infundendo deſuper aquæ pluvialis ℔ ij, per duodecim horas bulliant. Dein decoctum ſeu tinctura inſtar ſanguinis rubra per chartam bibulam tranſcoletur, & reponatur in cucur-

bitâ vitreâ, ut lento igne diſſipetur humiditas, quòuſque conſiſtentiam melleam acquiſiverit hæc tinctura; poſteà deſuper infunde ſpiritûs vini ℔. j. digerantur igne arenæ per ſeptem, octo aut novem horas, aut amplius, donec colore intensè rubro tingatur hic liquor; tandem per chartam bibulam iterùm tranſcoletur, & in alembico vitreo reponatur, ut diſtilletur uſque ad conſiſtentiam ſirupi.

Sirupus *Glauberi* in uſu ſæpiſſimè eſt in praxi medicâ, tartaroque ſtibiato illum anteferunt clinici ad acuandas potiones catharticas pro infantibus, ſenibus, ac delicatulis. Præſcribitur à gtt. iv. ad xxv. aut xxx. pro puerulis ad gtt. vi aut viij.

Virtus emetica tartari ſtibiati debetur, ratione præparationis, vel croco metallorum, vel vitro antimonii, quod attentè à pharmacopolis eſt exquirendum, ne cum malis ægri rebus præſcribatur. Nam pro præparationis modo, diverſa eſt doſis tartari ſtibiati. Tartarum emeticum cum

croco metallorum paratum à gr. ij ad vj. & quandòque ad gr. viij exhibetur : cum vitro verò antimonii à gr. ß ad gr. iij tantùm præſcribitur. Ad parandum tartarum emeticum, utendum non eſt rubinâ antimonii, quæ apud Aromatorios vili venditur, nam debilis admodùm eſt ejus vis emetica. Ex his eruendum eſt cur apud plures Pharmacopolas iners eſt tartarum emeticum ac vinum ſtibiatum.

Tartarum emeticum ex croco metallorum ſic conficitur

℞. Croci metallorum ℥iij. cremoris tartari ℥xij. aquæ communis ℔. vj. bulliant in vaſe fictili per horas octo aut novem; coletur dein liquor, evaporetur, & in cryſtallos exſiccetur, & erit tartarum emeticum.

In officinis non ſolùm reperitur tartarum ſtibiatum ſic paratum, quod diſſolvitur tantùm in aquâ calidâ; ſed etiam in eis proſtat altera tartari ſtibiati ſpecies quæ vocatur *Solubilis*,

quia paratur cum tartaro ſolubili, & minimâ humiditate liqueſcit. Hocce tartarum emeticum ſolubile altero activius eſt.]

Tartarum ſtibiatum in uſu frequentiſſimo eſt, leviùs pulvere algaroth vires ſuas exerit, qui præſcribitur tantùm in affectibus ſoporoſis à causâ frigidâ, in quibus incaſſum adhibita fuere alia emetica.

Potiones emeticæ omni horâ præſcribi poſſunt, dum fert indicatio: attamen ſi nullum adſit in morâ periculum, ſatius eſt eas matutinis horis exhibere.

Potionibus catharticis perſæpè adjunguntur emetica ut ano & cato eliminentur ſaburræ; attamen in apoplexiâ, convulſionibus, & in aliis affectibus ſoporoſis ſolum emeticum eſt exhibendum, & brevi-poſt potio cathartica [granis aliquot tartari ſtibiati acuata] eſt præſcribenda, ſi æger affectu ſoporoſo detentus eam deglutire poſſit.

Mira ſanè præſtat emeticum in febribus malignis, verminoſis, intermittentibus, præſertim quartanis, in pertinacibus colicis doloribus, in cholera morbo ſuppreſſo, in variolis, eryſipelatibus, in paroxyſmis aſthmatis, qui diutiùs ægros diſcruciant; in pertinacibus ophthalmiis, imò & in peripneumoniâ, præſertim cùm adeſt pectoris oppreſſio, cum indiciis ſaburras in ventriculo & inteſtinis latere, febrim ac peripneumoniam foventes.

Hocce remedium, emeticum nempè, ſuſpectum ſanè non eſt habendum, ut plures falsò exiſtimant; nam dum peritâ manu ac congruis temporibus, id eſt, poſt venæ ſectiones, præſcribitur, lentè & fauſtè agit. Summos præſtat effectus emeticum; etenim intra breve temporis ſpatium, viâ breviſſimâ, ore nempè, ſaburras in ventriculo latentes eliminat, & emungendo organa ventriculi excretoria pravos ſanguinis ſuccos

per eamdem viam evacuat, quin ii pravi ſucci è ſanguine ſemel ſecreti, ei iterùm commiſceantur, ut catharticis evenit.

In ventriculo cauſam ferè omnium morborum acutorum ſemper latere, pro certo eſt habendum: ſi ſaburris conſpurcetur ventriculus, omne ingeſtum eis commixtum malè concoquetur, in putridum abibit, morbumque fovebit. In his itaque circumſtantiis ad ventriculum ſaburris conſpurcatum, eiſque citò exonerandùm, ſeriò attendendum, ut ingeſta non putreſcant, congruoque pabulo ſuſtentetur corpus.

Perſæpè in febribus malignis advenit ægrotantes ſingulis ferè inſtantibus ſyncope corripi, ullumque liquorem epotare nequire, quin cardialgiis diſcrucientur. In illis circumſtantiis infauſta ſanè fiunt pharmaca, & ſumma pulsûs depreſſio venæ ſectionem vetat. Adſunt plures clinici, qui tunc in præſcribendis cardiacis

oleum & operam perdunt; ſed in illis caſibus non eſt incitandus ventriculi tonus remediis calidis, ſed potiùs ſunt eliminandi ſucci crudi, ac acidi in ventriculo latentes, qui in ſanguinem tranſeuntes eique commixti adeò ſanguinem ſpiſſant, ut circulatio dehinc ægrè peragatur. Cathartica validiora, quamquam indicata videantur, fauſtum tunc non habent eventum, utpotè quòd non eliminant pravos ſuccos, ut emetica, quæ breviori viâ foras eos expellunt, quin iterùm ſanguini commiſceantur; prætereà vividiùs ab emetico irritatur ventriculus, unde hujuſce viſceris vivida contractio, quâ adjutâ contractione vividiori diaphragmatis & muſculorum abdominalium, pravi ac viſcoſi ſucci ventriculum conſpurcantes, ſuperficieique internæ adhæreſcentes faciliùs, ſed violento impetu, foras ejiciuntur; ſic ventriculus ſaburris ſe expedit, liber fit ac aptior ad ingeſta concoquenda; eva-

neſcunt anxietates; ſui compos fit æger, reviviſcit ſenſim pulſus, ac ſenſim vividior exploranti manifeſtatur, & ſyncope non ampliùs recurrit.

In peripneumoniâ conducere non videtur emeticum, quia ab eo nimis concuſſis reſpirationis muſculis, nova forſan pulmonibus eveniret fluxio: attamen miros ſæpè præſtat effectus in hocce morbo, præſertim dum eſt ſymptoma febris malignæ & effectus pravorum ſuccorum, qui è primis viis in ſanguinem tranſeuntes graves exacerbationes concitant. Verùm dum in peripneumoniâ præſcribitur emeticum, ſolum non exhibetur, ſed ſociatum cum benignis catharticis, v.g. cũ mannâ, ut ejus in ventriculum actio temperetur, pravique nimiæ emetici actionis effectus præcaveantur; perſæpè apud ægros obſervatur emeticum cum mannâ ſociatum raro vomitum movere, ſed per ſeceſſum pravos ſuccos copiosè eliminare. Tandem emetica non agunt in ſanguinem

ut cathartica, quæ ſanguinem exagitant fermenteſcendo cum ſalibus in eo contentis; emetica verò, ſtibiata nempè, agunt parte ſuâ regulinâ partem ſanguinis ſulphuream, & fermentantia ſalia in ea obvoluta pondere ſuo attenuante. Ut autem emeticum ponderoſis particulis conſtat, majorem aliis ſanguinis partibus motum à corde accipit; quocirca in partes ſanguinis vividè incurrunt emetici particulæ; ab eis faciliùs attenuatur cruor & diſſolvitur, eodem fermè modo ac parvi globuli plumbei albumen ovi diſſolvunt, dum ſimul in lagenâ conquaſſantur. (*a*)

Novo nativitatis menſe puerulis præſcribitur emeticum (vinum nempè ſtibiatum) ad ℥ij. dum exigit

(*a*) Hodiè ab omnibus ferè Medicis receptum eſt emetica & cathartica in ſanguinem non diſſimili ratione agere, ſed utraque agere particulis ſuis integrantibus, nunc primariis, nunc ſecundariis quæ ſanguini permixtæ eum dividunt & attenuant, fluxilioremque reddunt; majores itaque aut minores effectus quos producunt ex diverſâ mole & duritie particularum ſuarum debent tantùm repeti.

morbus, verùm numquam præſcribi debet, niſi poſtquam incaſſum adhibita fuerunt alia cathartica [acuata guttis aliquot Sirupi *glauberiani*]. Inſuper doſis emetici debet ſemper eſſe accommodata ætati & morbo, quo laborant pueruli.

Notandum eſt numquam in obſtructionibus inveteratis, ac skirroſis viſcerum abdominalium convenire emeticum, niſi ſuperveniat gravis morbus emeticum indicans, ut v. g. apoplexia; in quo caſu omnia tentanda ſunt, ne hoc gravi morbo pereat æger. Nam ab actione emetici vividè contrahuntur muſculi abdominales & diaphragma, & ab eis non ſolùm premitur ventriculus, ſed etiam alia abdominis viſcera; conſequenter metuendum valdè eſt, ne ab illâ preſſione aliquatenùs contundantur viſcera obſtructa, in eis hæreat ſanguis, & inflammatione corripiantur.

Inſuper in illis circumſtantiis incaſſum adhiberetur emeticum; nam

non viſcera obſtructa, ſed ventriculum tantùm exonerat pravis ſuccis eum moleſtantibus.

Cùm afficiuntur delirio, convulſionibus, affectibus ſoporoſis prægnantes cum ſummo vitæ periculo; tunc non eſt hærendum, neceſſitas urget, & eis præſcribendum eſt, poſt venæ ſectiones neceſſarias, emeticum; verùm tunc mitiganda eſt hujuſce remedii actio, ſociando emeticum cum mannâ, ut infrà videbimus, quod etiam in uſu ſemper eſt habendum in caſibus, ubi pertimeſcenda eſt nimia emetici actio.

Fauſtè etiam adhibetur emeticum ad expellendum ex utero fœtum in eo extinctum: utpotè quòd à contractionibus iteratis, ſed vividioribus diaphragmatis & muſculorum abdominalium, adjuvatur uteri contractio. Adhibetur etiam ad promovendam molæ expulſionem, dum languent vires, quamquam in his circumſtantiis perita manus obſtetri-

cans tutiſſimum ſit præſidium. Dum in anniculis aut bimis puerulis nimius ardor obſervatur, & indicata ſunt cathartica, purgari poſſunt pueruli cum ſubſequenti ſirupo, qui eumdem præſtat effectum, ac ptiſana ſennæ in adultis. *

℞. Sennæ mundatæ à ʒß. ad ʒi. pruna nigra à nº. vj. ad x. coque in aquâ fontanâ ad ℥iv, vel vj. dein cola & colatura cochleatim capiatur.

POTIO EMETICA FORTIS
In affectum Soporoſum.

Sennæ mundatæ ʒiij. ſalis tartari ℈j. coque ad ℥viij. colaturæ adde vini emetici ℥ij. fiat potio danda ſtatim.

Benignior in Febre malignâ.

℞. Sennæ mundatæ ʒij. ſummitatum abſinthii minoris p. j. ſeminis contrà ʒß infunde ad ℥viij. in colaturâ diſſolve mannæ electæ ℥i. vini emetici ℥iß. fiat potio quæ detur manè, vel quâlibet horâ urgente.

Vel

[℞. Sennæ mundatæ ʒiij. tartari ſolubilis

ʒi. ſeminis contra p. j. infunde ſuper cineres calidos in aquâ fontanâ ad ℥xij. pro duplici doſi, in prima diſſolve mannæ calabrinæ ℥ij. & tartari ſtibiati gr. iv. in ſecundâ mannæ calabrinæ ℥i. & tartari ſtibiati gr. i. fiat potio, quæ detur manè vel quâlibet horâ urgente.]

POTIO EMETICA BLANDA in affectu Pulmonum & Uteri.

℞. Mannæ electæ ℥iß. diſſolve in aquæ liliorum ℥vj. colaturæ adde vini emetici ℥i. vel tartari emetici gr. iv. aut vj. aut ſirupi glauberiani gtt. xx. aut xxx. miſce, fiat potio danda manè.

* Levis vomitus moveri poteſt aquâ tepidâ cum olivarum oleo, & hæc maritata feliciter præſcribuntur iis, qui poſt comeſſationes nauſeant; & tempore febris, ſi nauſeâ laboret febricitans. [Feliciter & quoque præſcribuntur poſt aſſumpta emetica, dum vomere incipiunt ægrotantes, ut adjuvetur emetici actio, expeditiùſque per os ejiciantur ventriculi contenta.]

Magno cum ſucceſſu præſcribitur *hydroleum* (paratum cum quatuor aquæ partibus, & unâ olei parte) his quibus venenum [corroſivum nempè] datum fuit, ad obtundendam veneni vim, maximamque ejus partem vomitu eliminandam. Ut citiùs obtundatur vis corroſiva veneni poſt vomitum in ventriculo ſuperſtitis, ſatius eſt poſt *hydroleum* præſcribere plures cyathos lactis tepidi; ſic ſæpiſſimè præcaventur ventriculi & inteſtinorum exulcerationes, quæ abſque hoc auxilio à veneno deglutito ſanè concitarentur. Aqua tepida cum oleo præſcribitur ſubſequenti modo.

℞. Aquæ fontanæ tepidæ ℥vj. olei olivarum ℥ij. miſce, fiat hydroleum, ſæpè iterandum.

Ad movendum vomitum numquam hodiè adhibemus vitriolum, nec aſarum, nam ſæpiùs in ſummum vitæ diſcrimen conjiciunt ægros, ob inflammationem & exulcerationem

quam ventriculo non rarò accerſunt; dum ècontrà ſtibiata, præſertim vinum emeticum, mitiùs agunt, & abſque ullo periculo vires ſuas exerunt. Violenter ac infensè etiam agit pulvis *algaroth*, ſeu *mercurius vitæ*, quapropter numquam eſt adhibendus, niſi in ſummis ſoporoſis affectibus, & in paroxyſmis epilepticis diutiùs perſeverantibus, qui tunc in apoplexiam fortem abire facilè poſſunt: hic pulvis præſcribitur tantùm à gr. ij. ad viij, in conſervâ roſarum, ei quandòque adduntur grana aliquot *diacrydii*.

Ipecacuanha eſt radix emetica, quæ quotannis ab hiſpanicis claſſibus ex Peruviâ *Gades* [& *Ulyſſiponem* ex Braſiliâ] affertur. Hæc radix præſtantiſſimum & ferè ſpecificum præbet remedium pro dyſenteriâ. Quamquam in uſu tantùm ſit noſtris temporibus, attamen deſcripta fuit à *Guillelmo Piſone* in ſuâ Indiarum Hiſtoriâ.

[Habitâ locorum ratione, hujuſce radicis duæ ſunt ſpecies, peruviana, & braſiliana] Habito verò reſpectu coloris, tres adſunt, alba, cinerea, & fuſca.

[*Ipecacuanha cinerea, quæ ex Peruviâ ab hiſpanicis claſſibus Gades affertur, radix eſt duas treſve lineas craſſa, tortuoſa & quaſi annulatim exaſperata, dilutè fuſca vel cinerea, denſa, dura, fragilis, reſinoſa, cum nervo exiguo radicis meditullium ſecundùm longitudinem occupante, ſapore ſubacri, amaricante & nonnihil odorata. Ipecacuanha fuſca, ſeu radix braſilienſis, quia ex Braſiliâ Ulyſſiponem affertur, radix eſt tortuoſa, rugis quaſi annularibus magis exaſperata, quàm cinerea, tenuïor tamen, lineam craſſa, foris fuſca vel nigricans, intus alba, leviter amaricans. Ipecacuanha alba ſeu potiùs adulterina, eſt radix tenuis, lignoſa, quæ rugis caret, amaroris expers eſt, & ex candido flaveſcens. Hæc nec vomitum, nec ſeceſſum excitat, & à mercatoribus,*

ſordidi quæſtûs causâ potiùs quàm ratione ullius affinitatis cum ipecacuanhâ, permiſcetur cum verâ ipecacuanhâ. Vid. *Mater. Med. D. Geoff.*]

Ipecacuanha, ſicut alia emetica vegetabilia, agit irritando nempè ventriculum ſalibus ſuis, & expurgando ſanguinem à pravis ſuccis circulationem interturbantibus. Hæc radix maximè convenit in alvi profluviis, in magnis hæmorrhagiis, in immoderato catamæniorum aut hæmorrhoidum fluxu, imò & etiam in hæmophtiſi. In juſculo præſcribenda eſt ipecacuanha, non in aquis ſtillatitiis, quia nimis acris eſt, & vehementiorem vomitum excitat.

Exhibetur manè jejuno ventriculo à gr. xxx. ad l. Si hæc doſis vota non adimpleat, ſecundâ ab illâ doſi die, altera ad ʒi. eſt præſcribenda doſis, & poſt ſecundam, tertia doſis ad ʒi. poteſt etiam ægrotantibus exhiberi. Verùm maximè confert venæ ſectiones, & alia auxilia, quæ morbis

ipecacuanham indicantibus conducunt, uſum ipecacuanhæ antecedere. *

[Utraque ipecacuanha, peruviana ſcilicèt & braſilienſis, humores per ſuperiora & inferiora evacuant. Peruviana ſeu cinerea, braſilienſi ſive fuſcæ debet anteponi, propterea quòd longè mitior ſit ejus operandi ratio; braſilienſis verò longè vehementiorem vomitum excitat.

Præſtantiſſimum eſt remedium ipecacuanha adversùs alvi fluxus, ſed potiſſimum ad dyſenteriam ſanandam; agit tantùm parte ſuâ gummo reſinoſâ, attenuando, ac dividendo ſuccum hunc mucoſum parietibus ventriculi & inteſtinorum adhæreſcentem, eum ac ſaburras eliminando, & vaſa ſecretoria & excretoria inteſtinorum reſerando, conſequenter circulationem in textu inteſtinorum reſtituendo; pars verò lignea ferè prorſus inutilis eſt, nam teſtante *D. Geoffroy* pars ipecacuanhæ lignea gummi

gummi & reſina diligenter ſpoliata prorſus iners eſt, cùm nec vomitum provocet, nec ſeceſſum, nec dyſenteriam ſanare valeat : ergo gratis exiſtimaverunt quamplures ipecacuanham ſanare dyſenteriam parte reſinoſâ, dividendo mucum inteſtinorum, eumque foras amandando & parte ligneâ aſtringendo vaſa ſanguinea ſoluta, tonumque inteſtinorum reſtituendo.

In omni dyſenteriâ non æqualiter prodeſt ipicacuanha, nam rarò confert in illâ dyſenteriæ ſpecie, in quâ obſervantur ſummus ardor, ſitis inextinguibilis, multa ac vivida ventris tormina, febris ardens, abdominis tumefactio cum dolore exacuto, quæ denotant inflammationem viſcerum eſſe in procinctu. Hæc dyſenteria curatur venæ ſectionibus repetitis, ptiſanis diluentibus, & edulcorantibus largo hauſtu epotatis, enematibus demulcentibus ſæpiſſimè injectis, narcoticis largâ manu præſcriptis,

& cum emulſionibus ſociatis, & benignis catharticis. In illâ ſpecie dyſenteriæ conferre poteſt, dum nempè adſunt nauſeæ ægros plurimùm moleſtantes & ſigna ſaburræ in ventriculo latentis; ſed tunc præſcribendum non eſt hocce remedium antidyſentericum, niſi priùs mitigata fuerint congruis auxiliis ſymptomata; aut præſcribendum eſt morbi initio, dum adhuc non vigent ſymptomata enarrata. Prætereà in illo caſu ſocianda eſt ipecacuanha cum mannâ, ut ab eâ aliquatenùs obtundatur ejus vis. Verùm ipecacuanha plurimùm confert, & pro ſpecifico eſt habenda in illâ dyſenteriæ ſpecie, in quâ rara ac mitiora ſunt ventris tormina, nulla adeſt febris, nec ſitis, nullus calor deurens percipitur, & ubi alvinæ excretiones ſunt valdè mucoſæ ac ſanguinolentæ.

Dum in alvi profluviis adeſt indicatio movendi vomitum, ipecacuanha debet ſemper præparationi-

bus emeticis ſtybii anteponi. Ad vomitum excitandum doſis eſt à gr. xx. ad ʒi. quæ bis aut ter alternis diebus præſcribi poteſt, dum exigit morbus. His qui multùm nauſeant, aut qui minimâ de causâ evomunt, debet præſcribi à gr. x ad xx. aut xxv; nam aliter vehementiorem vomitum excitando, graviora concitaret ſymptomata. Ipecacuanhæ ope ritè purgato per ſuperiora & inferiora ægro, ſi dyſenteria ſubſiſtat, tunc præſcribenda eſt parvâ doſi ipecacuanha, vel ſingulis diebus, vel bis in die per triduum. Dum ſingulis diebus præſcribitur, doſis eſt à gr. viij ad xij. dum bis in die exhibetur à gr. v ad viij; eâ parvâ doſi præſcripta ipecacuanha nullam ferè purgationem promovet, ſed tantùm ſenſim attenuat, dividit mucum inteſtinorum, vaſa ſecretoria & excretoria reſerat, circuitum ſanguinis in textu inteſtinorum reſtituit, conſequenter coaleſcunt ſoluta ſan-

guinea vaſa, & curatur dyſenteriâ. Hicce modus ipecacuanham præſcribendi convenit delicatulis, & dum adeſt levis ſuſpicio latentis ſaburræ. Ipecacuanha etiam conducit ad ſiſtendas immoderatas uteri hæmorrhagias; ſed tunc, præmiſſis præmittendis, parvâ doſi debet præſcribi, ac repetitis vicibus, ne largiori doſi exaſperetur hæmorrhagia.

Adversùs dyſenteriam inveteratam, ſuccis viſcidis parietibus inteſtinorum adhæreſcentibus, organaque ſecretoria obſtruentibus ſuſtentatam cum lentore pulsùs, inflatione œdematoſâ, ac torpore totius corporis, mira ſæpè præſtat *turpethum gummoſum*, in quantùm mucum inteſtinalem potenter dividit & foras amandat, organa ſecretoria & circuitum ſanguinis, ac ſecretionem in textu inteſtinorum reſtituit; ſed non eſt præſcribendum, niſi poſtquàm ipecacuanhæ ac aliis appropriatis catharticis reſtiterit dyſenteria: nam exiſ-

timandum non eſt, ut plures gratis credidere, *turpethum gummoſum* citiùs faciliùſque ipecacuanhâ ſanare dyſenteriam, quod obſervationi quotidianæ non conſonat. Præſcribitur *turpethum gummoſum* in pulverem tenuiſſimum contritum à ℈i ad ʒi.

Anno 1713. noſtris primùm appulit oris cortex arboris in *Guianâ* creſcentis, & ab incolis *Simarouba* nuncupatæ, qui feliciter debellat alvi fluxus, qui purgantibus, aſtringentibus, ipſique ipecacuanhæ reſtiterunt. Magnas hujuſce corticis virtutes prædicavit Cl. Vir *Antonius de Juſſieu D.M.* in Horto Regio Pariſienſis Profeſſor ac Demonſtrator anno 1718. *Hocce enim anno cortice Simamaroubæ alvi fluxus dyſentericos tunc Pariſiis epidemicè graſſantes, & qui purgantibus aſtringentibus, & ipecacuanhæ reſtitere, feliciter debellavit.*

Hic cortex miſſus ex Guianâ *coloris eſt ex albo flaveſcentis, nullo odore præditus, ſaporis ſubamari, lenteſcen-*

tibus fib:is conſtans, candido, leviſſimo, inſipidoque radicum, ſtipitum, truncique ligno hærens, à quo facilè ſeparatur.

Non in cortice tantùm reſidet virtus Simaroubæ, in ligno etiam reperitur, ſed in gradu inferiori; nam lignum Simaroubæ alvi fluxus etiam ſiſtit, ut pluries experti fuimus.

Succo gummi-reſinoſo ſaporis non ingrati debetur virtus *Simaroubæ*, qui nullam evacuationem nec per vomitum, nec per ſeceſſum provocat, ſed ventriculum & inteſtina abſtergit, dividendo mucum eorum parietibus adhæreſcentem, organa eorum ſecretoria reſerando, circula:ionem, & ſecretionem in eis reſtituendo, eaque viſcera corroborando levi amarore quo donatur; ſic ab eo ſedantur ventris tormina, rariores evadunt evacuationes, è liquidis incraſſeſcunt fæces, cibos æger appetit, & curatur alvi fluxus.

Fluxus dyſentericos, dum à ſuccis craſſis, & viſcidis foventur, & diarrhœas inveteratas compeſcit ac curat *Simarouba*, ſedat etiam teneſmum, ac immodicas ſiſtit hæmorrhagias uterinas.

In ſubſtantiâ, vel in decocto præſcribi ſolet *Simarouba*, ſed non indiſcriminatim; nam dum adhuc viget ſuſpicio ſaburræ in primis viis latentis, tunc decoctum *Simaroubæ* pulveri eſt præponendum; & è contrà dum ſufficienter purgati fuere ægrotantes, pulvis *Simaroubæ* ejus decocto eſt anteponendus. Inſuper numquàm adhibenda eſt *Simarouba*, niſi priùs eliminati fuerint pravi primarum viarum ſucci, vel ope ipecacuanhæ, ſi nauſeent ægri, vel catharticis, quæ præter vim catharticam vi aſtringenti pollent, ut ſunt *rheum*, *myrobalani*, *raponticum*, *varii ſirupi officinales* cum quibus feliciter ſociatur manna.

In pulvere tenuiſſimo præſcribitur

Simarouba ſemel, bis aut ter in die à ℈i ad ʒi ; ſed uſitata doſis eſt ad ʒß. In decocto à ʒi. ad ʒiß. pro qualibet aquæ librâ ſub conſimili formulâ.

> ♃. Simaroubæ craſſiuſculè tritæ ʒij. aut ʒiij. aquæ fontanæ ℔ ij. bulliant ſimul uſque ad tertiæ partis conſumptionem, dein cola, & in quatuor æquales doſes dividatur colatura, quæ leviter tepidæ alternâ quâque horâ ab ægro epotabuntur.

Fertur, in Guianâ ubi frequentiſſimi eſt uſûs *ſimarouba* in alvi fluxibus dyſentericis, ægrotantes, qui *ſimaroubam*, ſive in ſubſtantia, ſive in decocto deglutierunt, perſentire poſt aliquot horas rigorem, qui futuræ ac fauſtæ curationis certiſſimum eſt ſignum; an illud ſit verum vel non planè ignoro, ſed ingenuè fateor me numquam obſervaſſe apud quamplures ægros ſimaroubâ curatos hunc futuræ ac fauſtæ curationis prodromum.]

* CAPUT IV.

DE JUSCULIS.

[*Juſculum eſt medicamentum liquidum ex carne ſolâ, aut cum ſimplicibus variis decoctâ, paratum.*]

JUſcula à julepo differunt coctione tantùm : ab apozemate, in quantùm caro ſive vervecina, ſive vitulina, aut agnina, aut hœdina, ſive pullus junior gallinaceus, ſive vetus gallus, ſive viperæ ſiccæ aut recentes, ſive cancri fluviatiles cum ſimplicibus decoquuntur.

In juſculis decoctum ſimplicium minùs eſt ægrotantibus faſtidioſum : juſcula itaque præponenda ſunt julepis ex decocto, ac apozematibus quæ ſaporem ſimplicium, ac aliorum pharmacorum ſemper retinent, non leve ægrotantibus faſtidium perſæpè afferentem ; prætereà ut ad novem vel decem dies juſcula præſcribuntur, efficaciores ſanè ſunt eorum

effectus, juleporum ex decocto, ac apozematum effectibus. In juſculis eadem adhibentur ſimplicia & eadem doſi, ac in julepo ex decocto & apozematibus, & liquoris quantitas ℥x. excedere non debet. Dividuntur juſcula in alterantia, & alterantia cathartica. Hodiè non amplius parantur, Antiquorum more, juſcula *Reſtaurantia* quæ ab eis parabantur ex gallo veteri, perdice, capone pingui, ſimplicibus aromaticis, confectionibus cardiacis, foliiſque auri, &c. ea omnia balneo mariæ diſtillabant, liquoremque diſtillatum dein ægrotantibus offerebant; illa ſanè præparatio nullum præſtat, imò nec umquam præſtitit effectum, & æquè ridicula eſt, ac ſi hodiè ægrotantibus offerretur liquor ille, qui operculo ollæ, in quâ concoquuntur carnes, ſtillatim congeritur, ac ſi dein juſculum in ollâ concoctum tamquam inutile ejiceretur.

Juſcula *aperientia* & *attenuantia*

quæ à veteribus Medicis parabantur ex veteri gallo exenterato, & ſimplicibus aperientibus ac aromaticis ſarto, in uſu hodiè non ſunt. Præſcribebant hæc juſcula veteres Medici in aſthmate ad attenuandam (ut inquiebant) pituitam craſſam, & viſcoſam, quæ viis ab his ſanè ſomniatis, à cerebro ad pectus afferebatur. Verùm experientia edocet huncce potiùs curari morbum edulcorantibus, & leviter aperientibus, quàm calidis remediis.

Parari debent juſcula more conſueto, id eſt in ollâ fictili operculo ſuo accuratè clausâ & non lutatâ, ut nonnulli ſuadent Medici.

Ut ritè parentur juſcula, plurimùm confert carnem aquâ calidâ macerare (quod gallicè vocatur *blanchir la viande*): optima ſanè eſt illa methodus non ſolùm in parandis juſculis pro ægrotantibus, verùm etiam pro his qui perfectâ fruuntur ſanitate. Hoc autem perficitur in

æneâ paropſide , vel in paropſide fictili, vel in ollâ communi, ubi caro per leve temporis ſpatium ebullire debet , eam ſenſim deſpumando ; dein extrahenda eſt caro ex illâ aquâ quæ eſt ejicienda ; nam turbida facta fuit ob ſanguinis , & lymphæ diſſolutionem , quæ inter fibrarum interſtitia concreta hærebant : poſteâ cum novâ aquæ copiâ in alterâ ollâ ponenda eſt caro , ubi debito modo bullire debet ad parandum juſculum, ea tamen de novo (conſueto more) deſpumanda eſt.

Adhibentur juſcula ad refrigerandum , ad edulcorandam ſanguinis acrimoniam , ad reſeranda viſcera obſtructa , ad eliminandum ſerum in cavum pectoris , aut imi ventris effuſum , atque collectum ; ad catamœnia promovenda , eorum immoderatum effluxum reprimendum , ſputum ſanguinis ſiſtendum , omneſque hæmorrhagias cohibendas , ad amovendos inſultus epilepticos , eoſ-

que curandos, ad ſedandam tuſſim, ulceraque interna detergenda, & in morbis cutaneis ad uberiorem cutis ſecretionem atque excretionem promovendam. *

JUSCULUM REFRIGERANS.

℞. Foliorum acetoſæ, borraginis, portulacæ, & lactucæ ana m. ß. ſeminis papaveris albi contuſi, & in nodulo ſuſpenſi ʒß. florum bugloſſi p. j. cum pullo juniori eviſcerato, ac pelle nudato; fiat juſculum, cui adde ſpiritûs ſulphuris gtt. vj. vel ſucci limonum ʒß. vel ſalis prunellæ ʒß.

Vel

℞. Radicum bugloſſi & fragariæ ana ʒß. foliorum dentis leonis, borraginis, capillorum veneris & lactucæ ana m. ß. pomum unum in fruſtula diſſectum, fructuum kinorrodontis contuſorum & in nodulo ſuſpenſorum par. xx. florum papaveris rheados p. ß. cum fruſtulo carnis vitulinæ, fiat juſculum, quod detur manè.

JUSCULUM LENIENS.

℞. Radicis ſymphiti majoris ʒß. folio-

rum borraginis, agrimoniæ, pimpinellæ & ceterach ana m. ß. ſeminum quatuor frigidorum majorum mundatorum, contuſorum, & in nodulo ſuſpenſorum ℥ ß. florum malvæ aut violarum p. j. cum pullo gallinaceo juniori, hordeo integro & ſemine papaveris albi farto, fiat juſculum manè dandum.

Aliud Juſculum leniens.

℞. Radicis althææ ℥ ß. foliorum borraginis, dentis leonis, & capillorum veneris ana m. ß. ſeminis lini ʒij. florum nymphææ p. j. cum pullo gallinaceo juniori; fiat juſculum, in quo diſſolve ſucci bugloſſi ritè defœcati ℥ij.

[*JUSCULUM*

Leniens, ac ſanguinem diluens.

℞. Pullum juniorem exenteratum ac pelle nudatum, vel colli vervecini ℥v. radicis cichorei ℥iß. crura quatuor, aut quinque ranarum, coque ut decet in ſ. q. aquæ fontanæ; ſub finem coctionis adde pimpinellæ hortenſis m. ß. cichorei hortenſis m. j. & poſt levem coctionem cola, & exprime ut fiat juſculum.

Vel

℞. Carnis agninæ, aut hœdinæ ℥viij. coque in ſ. q. aquæ fontanæ, ſub finem coctionis adde foliorum agrimoniæ, pimpinellæ hortenſis, & cichorei amari hortenſis ana m. ß. & poſt levem coctionem cola, & exprime, fiat juſculum.

His juſculis addi poſſunt cancri fluviatiles ad n°. ij, aut radix enulæ campanæ ad ʒi. dum corroborandus eſt ventriculus, ut in eo minùs morentur hæc juſcula, abſque ullâ alteratione citiùs in ſanguinem tranſeant, faciliùſque ei permiſceantur.

Nil ſanè, præter lac, præſtantius ad edulcorandam ſanguinis maſſam, ejuſque acrimoniam obtundendam, juſculis, quæ parantur ex ſanguine ac carne teſtudinis: hæc juſcula ſubſequenti modo parari ſolent.

℞. Pullum juniorem eviſceratum ac pelle nudatum, vel colli vervecini ℥iv. coque leviter, & poſtquàm deſpumaverit, reſcinde caput teſtudinis ut hujus in ollam effundatur ſanguis,

quo peracto, exime è teſtâ teſtudinem, pelle denuda, ejus viſcera diripe, & reſciſſis caudâ & extremitatibus, cum pullo juniore, aut collo vervecino deſpumatis, ac ſanguine bulliat lento igne per horas quinque; ſub finem coctionis adde cancros fluviatiles lotos & contuſos n°. ii. foliorum hederæ terreſtris p. i. cichorei hortenſis m. ß. & poſt levem coctionem cola & exprime, fiat juſculum teſtudinis.

Hæc juſcula, quæ in uſu hodiè frequentiſſimo ſunt, miros præſtant effectus in omni internâ ſuppuratione. Quàm plurimùm proſunt in tuſſi ab humorem acrimoniâ, pulmonum ſiccitate, atque ariditate productâ; nam ab eis humorum maſſa multùm edulcoratur, ejus acrimonia obtunditur, & trachea ductuſque bronchiales leniuntur. Verùm teſtudo præter vim edulcorantem ac lenientem; virtute etiam attenuante pollet (quæ apud ægros abundè manifeſtatur, ut unicuique leviter

attendenti facilè patebit) ejus conſequenter juſcula apprimè conveniunt ad domanda fluidorum vitia, quæ acrimoniâ ſimul cum ſpiſſitudine peccant, quod experientiæ conſentaneum eſt; feliciter itaque præſcribuntur ad domandum v. g. viru ſcrofuloſum, cujus effectus ſunt ſumma lymphæ ſpiſſitudo, cùm inſigni, ſed à nemine determinandâ acrimoniâ conjuncta. Ad deſtruendos illius viru effectus etiam feliciter adhibentur juſcula ſubſequentia.

℞. Radicis chinæ ʒij. millepedes lotos & adhuc vivos contuſos nº. xij. crura quatuor ranarum, cancros fluviatiles lotos ac contuſos nº. ij. naſturtii aquatici p. j. cichorei amari hortenſis m.ß. cum fruſtulo colli vervecini, fiat juſculum.

Quoad illud viru notandum quòd fauſtè debelletur ac dometur uſu frequentiſſimo juſculorum teſtudinis, radicis chinæ, & millepedum, lactiſque aſinini aut caprilli, & quod ſem-

per exaſperetur præparationibus mercurii, diverſiſque præparationibus *anti chæradicis.*

Parantur juſcula valdè lenientia cum limacibus, præſertim cum eis qui in vineis reperiuntur. Hæc juſcula feliciter adhibentur ad demulcenda fluida, ſuppurationeſque internas ſopiendas; ſubſtitui itaque poſſunt juſculis teſtudinum apud ægros, quibus tenues ſunt opes. Verùm ut limaces præbent ſuccum viſcidum ventriculum ſæpè moleſtantem, cautè præſcribenda ſunt eorum juſcula delicatulis, & his qui moleſtè concoquunt;& dum præſcribuntur, ſemper cum eis ſociandi ſunt cancri fluviatiles, aut radix enulæ campanæ, ne ab eis moleſtetur ventriculus. Subſequenti modo parari ſolent.

♃. Colli vervecini ℥v. limaces vineaticos cum teſtâ contuſos n°. viij. aut x. aut xij. bulliant in ſ. q. aquæ fontanæ ſimul & ſolito more deſpumentur;

dein coque per ſex horas, & ſub finem coctionis adde cancros fluviatiles contuſos n°. ij. aut iij. foliorum hederæ terreſtris p. j. pimpinellæ hortenſis p. ij. cichorei amari hortenſis m. j. & poſt levem coctionem cola & exprime, ut fiat juſculum limacum.

Si loco cancrorum fluviatilium addenda ſit radix enulæ campanæ; poſtquàm deſpumaverint limaces & collum vervecinum, projicienda eſt in ollam drachma una hujuſce radicis.

Parari etiam poſſunt juſcula lenientia cum carne vitulinâ, cum corde aut pulmone vituli. Vidi non ſemel miros effectus juſculorum, quæ parantur ex ſimplicibus leviter attenuantibus, & pulmone vituli in morbis ubi adeſt ſiccitas ſanguinis cum acrimoniâ conjuncta.]

JUSCULUM APERIENS.

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ in nodulo ſuſpenſæ ʒij. radicum bruſci & aſparagi ana ℥ß. foliorum agrimoniæ, pimpinellæ, cichorei, & capillorum

veneris ana m. ß. rhei electi minutim diſſecti, & in nodulo incluſi ʒß. florum calendulæ p. i. cum fruſtulo carnis vervecinæ, fiat juſculum manè dandum.

Aliud fortius in Hydrope.

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ in nodulo ſuſpenſæ ʒij. radicum anonidis & petroſelini ana ℥ß. foliorum dentis leonis cum toto, agrimoniæ, hepaticæ & ceterach ana m. ß. ſummitatum aſparagi & lupuli ana p. j. corticis mediani ſambuci ℥ß. rhei electi ʒß. cum fruſtulo carnis vervecinæ fiat juſculum, cui adde ſucci chærefolii ritè defœcati ℥ij. millepedum in clibano exſiccatorum ʒß.

JUSCULUM

In Hydrope, ſed ſuperiori mitius.

℞. Radicum lapathi acuti, petroſelini, aſparagi, & arundinis ana ℥ß. radicis enulæ campanæ ʒij. millepedes lotos & vivos contuſos n°. xij. foliorum apii ſilveſtris, & naſturtii aquatici ana m. ß. & cum fruſtulo carnis vervecinæ fiat juſculum, in quo diſſolvantur tartari martialis ſolubilis gr. xx. aut xxx.]

* Juſcula cum magnâ carnis vitulinæ copiâ felices habuere eventus in hydrope, teſtante *D. Sydobre*; ſubſequenti modo parantur hæc juſcula *

℞. Carnis vitulinæ ſine adipe ex coxâ deſumptæ & in fruſtula diſſectæ ℔. vi. cichorei ſilveſtris & chærefolii minutim ſectorum ana m. vi rhei pulverati ʒi. fac in ollâ fictili ſ. ſ. ſ. & ſinapizentur pulvere rhabarbari in vaſe cum ſuo operculo optimè clauſo cum papyro & paſtâ, coque in b. m. per ſex horas, fiat juſculum manè capiendum.

[Hæc juſcula (quæ vocantur juſcula balneo mariæ parata) uſûs hodiè frequentiſſimi ſunt adversùs omnes hydropis ſpecies, & diatheſes cachecticas, præſertim ſi cum his diatheſibus quædam acrimonia in fluidorum maſsâ ſuſpicetur; verùm ne ægrotantibus fiant faſtidioſa cum tantâ carnis vitulinæ copiâ hodiè non parantur, & his ferè ſemper additur quædam martis præparatio, præſertim adduntur flores ſalis am-

moniaci martiales, ut promptiores & feliciores effectus præſtent. Subſequenti modo hodiè parari ſolent.

℞. Carnis vitulinæ ſine adipe ex coxâ præſertim deſumptæ, & in taleolas ſectæ ℥xxiv. aut ad ſummum ℔ ij. naſturtii aquatici, cichorei amari hortenſis conciſorum ana m. i. chærefolii inciſi p. ij. rhei electi pulverati ʒi. millepedes vivos lotos & contuſos nº. xv. florum ſalis ammoniaci martialium gr. xij, ea omnia in ollâ fictili diſponantur ſ. ſ. ſ. & ſingulæ carnis taleolæ aſpergantur pulveribus, millepedibus, & herbis conciſis; his omnibus ita diſpoſitis ſuper effundatur aquæ fontanæ ſemicyathus, dein olla benè obturata collocetur in balneo mariæ ut in eo ebulliat per horas ſeptem, poſteà juſculum trans linteum trajiciatur cum forti ingredientium expreſſione, fiatque juſculum.]

JULEPUS MENSES MOVENS.

℞. Radicum rubiæ tinctorum & aſparagi ana ℥ß. foliorum agrimoniæ, pimpinellæ, ceterach & cichorei ana m. ß. croci orientalis p. i. cum fruſtulo

carnis vervecinæ fiat juſculum, cui adde limaturæ ferri rubiginoſæ ʒß.

[Pro delicatulis mulieribus ſuppreſſione menſium laborantibus loco limaturæ ferri rubiginoſæ diſſolvenda ſunt in hoc juſculo gr. xv. aut xx. tartari martialis ſolubilis.]

JUSCULUM

Sanguinis profluvium ſiſtens.

℞. Radicis althææ ℥ß. foliorum plantaginis, millefolii, burſæ paſtoris & borraginis ana m. ß. roſarum rubrarum p. j. cum pullo juniori gallinaceo eviſcerato & pelle nudato fiat juſculum, cui adde boli armeniæ & terræ ſigillatæ ana ʒß.

Vel

℞. Radicis biſtortæ, ſaniculæ, ſanguiſorbæ, & plantaginis ana m. ß. balauſtiorum p. j. cum fruſtulo carnis agninæ fiat juſculum, in quo diſſolve ſucci urticæ ritè defœcati ℥ij.

[Adversùs hæmopthiſim plurimùm prodeſt ſubſequens juſculum.

♃. Foliorum plantaginis & urticæ ana m. ß. foliorum millefolii & pimpinellæ hortenſis ana p. ij. crura quatuor aut quinque ranarum & cum fruſtulo carnis agninæ, aut colli vervecini fiat juſculum.

Huic juſculo feliciter adduntur folia portulacæ, & ſemina quatuor frigida majora, dum à ſanguinis fervore, rareſcentiâ cum acredine ortum ducit hæmopthiſis.]

JUSCULUM Antiepilepticum.

♃. Radicum cichorei & fragariæ ana ℥ß. foliorum cichorei, borraginis, lactucæ, & agrimoniæ ana m. ß. foliorum meliſſæ p. j. ſeminis papaveris albi contuſi, & in nodulo ſuſpenſi ʒß. cum pullo juniori gallinaceo fiat juſculum, cui adde radicis pæoniæ maris pulveratæ ℈ij.

[*Aliud juſculum antiepilepticum ſuperiori ſanè præſtantius dum ſanguinis craſſitiei ac ſpiſſitudini debetur epilepſia.*

♃. Radicis pæoniæ maris ʒij. radicum valerianæ

valerianæ ſilveſtris,& enulæ campanæ ana ʒi. cancros fluviatiles vivos & contuſos nº. ij. foliorum ſalviæ p. i. foliorum cichorei amari m. j. & cum fruſtulo colli vervecini fiat juſculum.

Adversùs paralyſim, & ad præcavendos affectuum ſoporoſorum recurſus à ſanguinis ſpiſſitudine ortorum, multùm prodeſſe aquas thermales neminem fermè fugit; ſed perſæpè thermales non ſuadentur niſi priùs congruis auxiliis, venæ ſectionibus, emeticis, catharticis, carthartico emeticis, apozematibus, & juſculis præparati fuerint ægrotantes. In his caſibus (præmiſſis venæ ſectionibus, emeticis, catharticis, aut carthartico-emeticis) miros effectus præſtant juſcula ſubſequentia.

℞. Radicis enulæ campanæ ʒij. cancros fluviatiles contuſos nº. iij aut iv. carnis ſerpentis ℥ij. fumariæ, naſturtii aquatici ana p. ij. cichorei amari m. j. & cum fruſtulo colli vervecini fiat juſculum.]

JUSCULUM DETERGENS.

℞. Radicum dentis leonis & agrimoniæ ana ℥ß. foliorum agrimoniæ, pimpinellæ, piloſellæ & millefolii ana m. ß. roſarum rubrarum, ſummitatum hyperici ana p. i. cum pullo juniori eviſcerato hordeo integro farto fiat juſculum, cui adde balſami judaïci gtt. xij terebinthinæ Venetæ aquâ liliorum benè lotæ ʒß.

Verùm ſatius eſt terebinthinam cum pulpâ caſſiæ aut cum vitello ovi diſſolvere, quàm in juſculo: itaque poterit parari bolus cum ʒß. terebinthinæ & parùm pulpæ caſſiæ cum ſaccharo & pulvere liquiritiæ, ſuperbibendo juſculum præſcriptum.

* Certiſſimum eſt permultos cutaneos affectus obſtructionibus glandularum miliarium deberi. Illud manifeſtè comprobatur inæqualitatibus quæ in eis obſervantur, rubore ac pruritu. Scabies, herpetes, variæ papulæ, ac alii ſimiles affectus cutanei huicce cauſæ debentur, &

curantur, in quantùm expediuntur glandulæ miliares, & reſerantur tubuli illi foras hiantes. Ut tutò reſerentur glandulæ miliares, maxima tranſpirationis materiei copia eſt gignenda, eam è parte ſulphureâ expediendo & attenuando; nam dein hæc materia tranſpirationis copiosè genita ad glandulas miliares delata vires ſuas exeret in eam tranſpirationis materiem in glandulis miliaribus concretam & hærentem, eam attenuabit, diſſolvet, & foras amandabit. Eadem ſanè eſt actio omnium aperientium, quæ organa ſecretoria reſerant; nam exiſtimandum non eſt, quòd aperientia obſtructiones v. g. hepatis diſcutiant, attenuando, diſſolvendo bilem concretam, ac in acinis glanduloſis hærentem; ſed potiùs agunt in ſanguinem; conſequenter bilem in parte ſulphureâ implicatam diſſolvunt, fluidioremque efficiunt: hinc bilis è parte ſulphureâ faciliùs ſe expedit, faciliùſ-

que hepatis poros ſubit, ubi bili concretæ & hærenti permiſcetur, ſemel permixta eam liquat, ejuſque fluxum naturalem reſtituit, ac promovet.

Eamdem eſſe actionem diaphoreticorum exiſtimandum eſt; hæc remedia ſanguinem valdè attenuant, ac dividunt, & materiem tranſpirationis copiosè in ſanguine parant, ſicque glandulas miliares reſerant.

Ad reſerandas glandulas miliares multùm proſunt juſcula viperarum; nam ſale alkalino volatili pollent cum ſale perſpirationis inſenſibilis valdè analogo.

Hæc juſcula ſubſequenti modo parari ſolent. *

JUSCULA VIPERARUM.

℞. Viperam vivam, abſcinde caudam & caput, cutem detrahe & eviſcera, ſervatis ſeorſim corde & jecore, contunde in mortario marmoreo, & pone in ollâ fictili ritè clausâ ſuo operculo cum paſta & papyro, & coque in ℔ ii.

aquæ fontanæ per tres horas; fiat juſculum dandum manè in lecto, in quo manebit æger per duas horas, ſtragulis coopertus, ut ſudor eliciatur.

N. B. Sanguinem, dum viperæ caput & cauda amputantur, excipiendum eſſe in aquâ ex qua parari debet juſculum; prætereà hepar & cor poſt aſſumptum juſculum devorari debent. Juſcula viperina uſurpari debent per viginti dies, purgato corpore quinto quoque die, ut craſſa & viſcida materia, quæ vim viperarum eludere poſſet, vi cathartatici ejiciatur, dum materia volatilior, ſaliaque acria volatilia fumi inſtar per cutis ſpiracula diſcutiuntur.

[In Scabie, herpete, ac variis papulis cutem obſidentibus, ſimilibuſque affectibus cutaneis non ſemper prodeſſe juſcula viperarum notum eſt Medicis; nam eidem fluidorum vitio non ſemper debentur hi affectus cutanei; quocirca in eis indiſcriminatim non ſunt præſcribenda (quam-

quam apprimè reſerent glandulas miliares, aliaque cutanea vaſa ſecretoria & excretoria) ne ab eis exaſperentur, ut perſæpè evenit, dum inconſultò præſcribuntur.

Ex triplici fluidorum vitio hos memoratos affectus exoriri, ac foveri poſſe experientiæ conſonum eſt, vel à viſciditate nempè fluidorum, cum acrimoniâ quâdam conjunctâ, vel à ſolâ fluidorum ſpiſſitudine, vel à fluidorum ſiccitate & ſalſugine. Hoc ultimum fluidorum vitium ad eos producendos aliis ſanè frequentiùs, in regionibus præprimis auſtralibus, ut edocent procatarcticæ cauſæ, quæ eos procreare ſolent. Ad eos debellandos non æqualiter prodeſſe juſcula viperarum edocet eorum ætiologia; itaque non iiſdem, ſed variis oppugnandi ſunt remediis, quæ fluidorum vitia emendando, glandulas miliares, aliaque cutanea vaſa ſecretoria & excretoria reſerare poſſint. Cum hi cutanei affectus ſuſtentantur

à viſciditate fluidorum cum acrimoniâ quâdam conjunctâ, oppugnandi ſunt remediis quæ fluida atterendo, ac dividendo, eorum acrimoniam obtundere, ac ea edulcorare poſſint; talia ſunt juſcula teſtudinum, cancrorum fluviatilium cum herbis attenuantibus; ſerum lactis millepedibus, ſucco chœrefolii, cichorei, naſturtii, aut fumariæ alteratum; lac ebutiratum & alteratum decocto radicum chinæ, ſalſæparillæ, &c; in illo caſu quandòque proſunt juſcula viperarum, dum nempè viſcoſitas acrimoniæ prævalet, ſecùs verò nocent: nam viperarum juſcula ſerum tenuïus diſſipando, majorem acrimoniam maſſæ fluidorum conciliant: quapropter non ſunt ſuadenda niſi in morbis cutaneis à ſolâ fluidorum ſpiſſitudine ſuſtentatis, vel (ut jam dixi) dum in eis viſcoſitas, ſpiſſitudo acrimoniæ multùm prævalet, & ſimul obſtinati, contumaces, & difficiles curatu fiunt;

tunc enim maximè proſunt juſcula viperarum, in quantum dividunt, & atterunt materiem inſenſibilis tranſpirationis; ideòque glandularum miliarium aliorumque vaſorum ſecretoriorum, & excretoriorum obſtructiones & infarctus reſerant, ſanguiniſque circuitum æquabiliorem, facilioremque reddunt. Verùm ſi à fluidorum ſiccitate & ſalſugine exoriuntur ac foventur; infarctus glandularum miliarium non auferuntur niſi remediis valdè diluentibus, ac ſummè edulcorantibus, ut ſunt aquæ acidulæ minerales, balnea, juſcula cum ranis, cancris & herbis refrigerantibus; ſerum lactis millepedibus tantùm acuatum, lac caprillum, aſininum, &c. Sed cautè fugienda ſunt juſcula viperarum, quæ tunc eos exaſperarent morbos. Si autem à ſolâ fluidorum ſpiſſitudine ſuſtententur hi cutanei affectus (quod ſanè rariſſimum eſt) debellandi ſunt remediis aperientibus & hydroticis,

quæ ſanguinem, materiemque tranſpirationis atterendo, ac dividendo, infarctus cutaneos diſcutere ac tranſpirationem æquabiliorem, & faciliorem reddere poſſint: ſic fauſtè in eis adhibentur juſcula cancrorum fluviatilium cum ſimplicibus aperientibus & diaphoreticis; ptiſanæ cum lignis & radicibus ſudorificis, juſcula viperarum, & alia ejuſdem ſanè indolis.]

JUSCULA

Cancrorum fluviatilium.

℞. Cancros fluviatiles vino benè lotos, aut aquâ calidâ, & in mortario marmoreo contuſos nº. xij. pone in ollâ fictili, & coque in ſ. q. aquæ hordei, aut in juſculo pulli junioris per horam unam & ſemis. Sub finem coctionis adde foliorum bugloſſi, & dentis leonis ana m. ß. florum malvæ p. ß. & poſt levem coctionem cola, & exprime, fiat juſculum quod detur manè.

* Juſcula cancrorum fluviatilium

apprimè conveniunt in omnibus morbis, in quibus ſanguinis maſſa eſt edulcoranda, ut in pthiſi, in aſthmate, in inveteratâ ophtalmiâ, in dyſuriâ, in immoderato catamæniorum fluxu. Aſt perſæpè advenit multum in ſanguine fervoris concitare ea juſcu'a ob ſalem acrem quo pollent cancri fluviatiles; tunc non ampliùs ſunt ſuadenda, ſed eis ſubſtituenda ſunt juſcula lenientia.

[Juſcula cancrorum fluviatilium frequentiſſimi ſunt usûs in praxi medicâ. Plurimùm proſunt in morbis ab humorum viſciditate cum quâdam acrimoniâ conjunctâ productis, prærereà ſtomachum corroborant, digeſtionem firmant, materias acidas obtundunt, ac deſtruunt. Aſt hodiè in juſculis tanto numero non præſcribuntur, ut mos erat apud Antiquos, nam ſanguinem nimis exagitando, nimiumque fervorem ei conciliando, ſputum ſanguinis, narium hæmorrhagiam, agrypniam, hæmor-

rhoïdes, immoderatum catamænio-rum fluxum, & plura alia concitant mala. Cancri fluviatiles præter vim attenuantem pollent vi leniente, quod eſt notandum; nam dum major adeſt indicatio fluida atterendi ac dividendi, quàm ea leniendi & edulcorandi, cancris fluviatilibus addenda ſunt ſimplicia attenuantia, ut borrago, bugloſſum, cichoreum amarum, fumaria, chærefolium, naſturtium, & alia ejuſdem indolis: ſecùs verò dum indicatio leniendi & edulcorandi fluida major eſt, atterendi, ac dividendi indicatione, tunc cum cancris ſocianda ſunt ſimplicia refrigerantia & lenientia, ut folia portulacæ, lactucæ, acetoſæ, flores malvæ, violarum, nymphææ, &c.]

Tabefactis ægrotantibus præſcribi ſolet gelatina ad cochlearia quinque aut ſex, ſive poſt juſculum, ſive in juſculo communi; non ſolùm ut eorum refocillentur vires, ſanguinique ſuppeditentur partes balſami-

cæ; ſed etiam ut eis gratiora ſint juſcula. Paratur gelatina delectationis cauſâ ex ſucco vituli, perdicis, cornu cervi, & granis aliquot *ambræ cineritiæ*: aſt ea quæ pro ſanitate ſingulis diebus eſt in uſu, parari tantùm debet cum carne vitulinâ, & pullo gallinaceo, ſubſequenti modo.

GELATINA.

℞. Pullos gallinaceos juniores iij. carnis vitulinæ ℔ ij. coquantur per horas iij aut iv. igne candenti carbonum in aquæ fontanæ ℔ iij. dein trans linteum trajiciatur juſculum cum ingredientium forti expreſſione; poſteà ei addantur ſacchari pulverati, & ſucci de limonibus ana cochlearia ij. iterùm per manicam hipp. percoletur, & ſtillet in crateres, qui dein aëri libero ſunt exponendi, ut ſub gelatinæ formâ concreſcat juſculum, ad uſum memoratum.

CAPUT V.

DE EMULSIONE.

EMulſio eſt lac per expreſſionem eductum ex amygdalis dulcibus cortice denudatis, ex quatuor ſeminibus frigidis, & ex ſemine papaveris albi, in mortario contuſis, affusâ aquâ fontanâ, vel decocto hordei, vel quâdam aquâ ſtillatitiâ, vel decocto alicujus ſimplicis. In emulſione diſſolvuntur ſirupi, qui variis indicationibus ſatisfacere debent. Liquoris quantitas ℥viij vel x. excedere non debet, & ſatius eſt in formulâ quantitatem liquoris determinare, quam addere *quantùm ſatis*. In emulſione ſpiritus acidi non ſunt addendi; nam ab eis turbida fieret emulſio, parteſque ſeminum ſulphureæ præcipitarentur.

Emulſio multis indicationibus ſatisfacit; nam æſtum ſanguinis tem-

perat, fluida ſpiſſat, eorum acrimoniam demulcet, & ſomnum conciliat. Exhibetur emulſio manè & ſerò; ſed pro unâ doſi præſcribenda tantùm eſt, quia facilè corrumpitur, vel aceſcit, præſertim æſtivo tempore.

Neceſſum non eſt indicare doſim herbarum, radicum, ac florum, quibuſcum parantur decocta ad educendas emulſiones, ut potè quòd eadem doſi præſcribi ſolent, ac in juſculis. *

EMULSIO REFRIGERANS.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum par. vi. ſeminum quatuor frigidorum majorum mundatorum ʒiij. contunde in mortario marmoreo ſenſim affundendo decoctum hordei, acetoſæ & cichorei ad ℥viij; in colaturâ diſſolve ſirupi capillorum veneris ʒvi; fiat emulſio quæ detur manè & ſerò, & iteretur per triduum.

* Hæc emulſio aptiſſima eſt ad æſtum ſanguinis temperandum,

ejuſque acrimoniam demulcendam extracto ſulphureo, quod ex amygdalis dulcibus, ſeminibuſque quatuor frigidis educitur; nam hocce extractum ſanguini permixtum ſalia acria in ſanguine contenta obvolvit, eorumque acrimoniam obtundit: quocircà hæc emulſio multùm prodeſt in *pyrexiâ* febris, in omni ſanguinis æſtu, & in omnibus morbis ab eo exorientibus. Aſt emulſio hæc facilè aceſcit, dum in ventriculo permiſcetur cum ſuccis crudis; itaque non eſt præſcribenda in febribus putridis, niſi priùs præceſſerit potio cathartica, & tunc ei ſubſtituendi ſunt julepi refrigerantes, qui hujuſce alterationis capaces non ſunt, dum initio morborum putridorum indicata eſt emulſio. *

EMULSIO
Incraſſans & leniens.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum par. vi. ſeminum quatuor frigidorum

majorum mundat. ℥iij. ſeminis papav. albi ℥ij. contunde in mortario marmoreo ſenſim affundendo aquam liliorum ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi de nymphæâ ℥vi. fiat emulſio danda horâ ſomni.

* Mira præſtat hæc emulſio in omnibus pectoris affectibus, ubi violentis ac iteratis tuſſis acceſſibus diſcruciantur ægrotantes ; nam citiùs & faciliùs aliis pharmacis æſtum temperat, & demulcet acrimoniam ſeri, quod in glandulis veſtientibus cavum bronchiorum, ac veſicularum ſecernitur. Multùm prodeſt in dyſuriâ, gonorrhæâ virulentâ, præſertim initio manè & ſerò exhibita ; in dyſenteriâ, in variolis, in eryſipelate, & in rheumatiſmo. Miros etiam ſæpè præſtat effectus in oris inflammationibus, & totius corporis ardore quæ febrem accendunt, & in ptyaliſmo. Emulſio tandem leniens, aliis remediis præſtantior ad edulcorandam ſanguinis maſſam,

& ad mitiganda mala quæ acredini, aut ſanguinis diſſolutioni debentur, ut ſunt omnes internæ inflammationes. *

EMULSIO NARCOTICA.

℞. Amygdalar. dulc. excorticatar. par. vi; ſemin. quatuor frigidorum majorum mundat. ℥ij. ſeminis papaveris albi ℥iß. contunde in mortario marmoreo ſenſim affundendo aquam fontanam ad ℥viij. in colaturâ diſſolve ſirupi papaveris albi ℥ß. vel laudani opiatici gr. i. aut gr. iß. fiat emulſio danda horâ ſomni.

* Hæc exhibetur emulſio, cùm per noctem ſomnus ægrotantibus eſt conciliandus præprimis dum aliquo diſcruciantur dolore. Attamen in præſcribendis emulſionibus ſemper eſt attendendum, an ventriculus eas ferre poſſit, cavendumque ne in eo aceſcant; nam ventriculi acores, exacerbationeſque febris accerſerent, quod ſummè eſt notandum.

[Notandum quoque eſt amyg-

dalas præbere ſuccum ventriculum ſæpè moleſtantem ; itaque eæ non ſunt addendæ emulſionibus quæ delicatulis aut ventriculo debili offeruntur.]

Sæpiſſimè contingit quòd ægri emulſiones modo ſuperiùs memorato eductas tolerare nequeant, & quòd faciliùs tolerent eas, quæ aquâ ferventi educuntur ; quandòque etiam opus eſt ut leviter concoquantur, ut correctis atque coctione diſſolutis crudis ſeminum ſulphuribus, non aceſcant emulſiones [minùs in ventriculo morentur, nullam in eo alterationem contrahant, & intactæ citiùs, faciliùſque ſanguini permiſceantur : præſcribendæ itaque ſunt emulſiones coctæ, dum debilis eſt ventriculus, ſaburriſque eſt conſpurcatus]. Ut in ventriculo non aceſcant emulſiones, eis etiam eſt addenda ʒß. corallorum rubrorum præparatorum ; & ut ſuaviores fiant, aquæ naphæ ℥ij. Si verò adſit ſuſpicio ver-

mium in primis viis latentium, emulſioni addenda erit ℥ß. ſeminis ſantonici, & aquâ portulacæ erit educenda. Quamquam julepi & potiones his indicationibus magis ſatisfacere videantur, perſæpè advenit quòd dum latent in primis viis vermes, adſit indicatio æſtum ſanguinis temperandi, ejuſque acrimoniam demulcendi, ut in peripneumoniâ, & anginâ inflammatoriâ.

CAPUT VI.

DE CREMORIBUS.

EDucuntur cremores ex oryzâ, hordeo mundato, avenâ mundatâ, & è ſecale, in aquâ fontanâ ea concoquendo per aliquot horas, dein per ſetaceum trajiciendo, ut cremor à furfure ſecernatur.

Tribus coctionis horis perficitur

cremor oryzæ, (*a*) quatuor horis cremor ſecalis, duabus aut tribus horis cremor avenæ, & neceſſum eſt ut hordeum ebulliat per ſex aut octo horas, ut cremor hordei ritè perficiatur.

Oryzæ cremor ſanguinem demulcet ac incraſſat; hordei cremore ſanguinis ardores compeſcuntur: virtute diureticâ [frigidâ] gaudet avenæ cremor: & cremor ſecalis liberam ſervat alvum; quapropter multùm prodeſt iis qui hæmorrhoïdibus obnoxii ſunt.

Pro unâ tantùm doſi paratur cremor, & pro quâlibet doſi ſemina

(*a*) De cremore oryzæ tritæ & per pollinarium cribrum trajectæ quæ vulgò vocatur *Fleur de Ris*, ſanè locutus eſt D. *Barbeirac* dum aſſeruit cremorem oryzæ eſſe perfectum tribus coctionis horis; nam neminem fermè fugit, ut pro ægris educatur ex oryzâ cremor, neceſſum eſſe ut oryza ebulliat per quinque aut ſex horas; alioquin cremor oryzæ ægrorum ventriculum moleſtaret. Dum è-contrà poſt duas aut tres coctionis horas educitur è flore oryzæ cremor ſat coctus, ut ægris offerri poſſit.

(è quibus debet educi cremor) debent præſcribi ab ℥i. ad ℥ij. ad ſummum, quæ incoquuntur cum aquæ fontanæ ℥xij; verùm quâ proportione aqua ebullitione evaporatur, nova in ollam infundenda eſt, ſed fervens, ut hæc ſervetur liquiditas cremori ſorbendo neceſſaria. Suaviores fiunt cremores, eis addendo ʒij. ſacchari pulverati. In genere exiſtimandum eſt quòd cremores potiùs vices gerant nutrimenti quàm pharmaci. Præbent (ut inquiunt) medicamentum *alimentoſum* quod ſanguinem edulcat, & prodeſt in morbis, ubi indicatum eſt lac, ut in phtiſi, tuſſi, ſanguinis ſputo, in dyſuriâ, fame caninâ, in oris inflammationibus, in ophtalmiâ. Loco juſculorum bis aut ter in die multùm commendantur cremores in peripneumoniâ, & etiam in dyſenteriâ, dum variolarum eſt ſymptoma.

[In omnibus morbis ubi minima ſanguinis exagitatio eſt vitanda, ne

exaſperentur , feliciter cremoribus nutriuntur ægri , loco juſculorum , quæ ſanguinem ſemper exagitant , ac æſtum intendunt : ut exempli causâ in hæmopthiſi , vomitu cruento , mictu ſanguineo , & in aliis internis hæmorrhagiis : in his morbis prohibetur juſculorum uſus , ſolis cremoribus aquâ coctis , ſaccharo edulcoratis , quartâ , aut quintâ quâque horâ oblatis nutriuntur ægri, ne juſculis exagitato ſanguine , intendatur ſanguinis profluvium , prædiaturque exindè vaſorum ſolutorum coaleſcentia.]

Ut cremore oryzæ multùm demulceatur ſanguinis acrimonia , cum oryzâ concoqui debet manipulus foliorum bugloſſi, & ei addendus cyathus lactis vaccini ; vel parari poteſt cremor oryzæ , oryzam incoquendo per tres horas cum aquâ fontanâ , dein per tres alias horas cum juſculo pulli gallinacei , & tandem per tres etiam horas in lacte

amygdalarum. Cremor ſic paratus multùm prodeſt temperamentis æſtuantibus, quæ febre corripiuntur; feliciter quoque adhibetur in ptyaliſmo perfecto ad præcavendas oris inflammationes, & ut ejuſdem partis ulcera eſcharis vitioſis non obducantur.

[A pluribus annis nobis ex America affertur novum pharmacum nomine *Sagou*, cujus vera origo nos adhuc latet. Ex *Sagou* parantur cremores non ingrati ſaporis, modo fruſtulo cinnamomi aromatizentur, & ſaccharo edulcentur, teſtantibus Anglis, qui frequenter delectationis causâ cremores *Sagou* cinnamomo, caryophyllis, & nuce moſchatâ aromatizatos, & ſaccharo edulcoratos ſorbent. Cremores *Sagou* non nutriunt, ſed ſuccum nutritium præbent, qui acrimoniam ſanguinis multùm demulcet; quapropter miros præſtant effectus in pthiſi, in tuſſi inveteratâ, & in omnibus morbis ubi indicatum eſt.

Loco lactis adhibentur ſæpè cremores *Sagou*, dum lac & alia edulcorantia reſpuit æger, vel dum in ventriculo pravam alterationem contrahunt. Cremores *Sagou* ſæpè compeſcunt tuſſis acceſſus, qui lacticiniis aliiſque edulcorantibus diù reſtitere. Pro quâlibet cremoris doſi præſcribitur ab ℥i. ad ℥ij.

Verùm ut ritè paretur *Sagou* cremor, ebullire debet *Sagou* per ſex aut ſeptem horas, novam ſenſim addendo aquam, ſed ferventem, quâ proportione prior ebullitione evaporatur; ſub finem coctionis in ollam projiciendum eſt fruſtulum cinnamomi; peractâ ſufficienti coctione, trajiciendus eſt cremor *Sagou* per ſetaceum, & dein edulcorandus cum uno aut altero cochleare ſacchari ritè pulverati.]

CAPUT

CAPUT VII.

DE PTISANA.

[*Ptiſana eſt medicamentum liquidum, decoctione aut infuſione paratum cum aquâ communi ad potum ordinarium.*]

DIviduntur ptiſanæ in refrigerantes ptiſanas, adſtringentes, diluentes, diureticas, aperientes, catharticas, exſiccantes, & diaphoreticas.

Ptiſanæ refrigerantes hauriuntur quandòque glacie refrigeratæ, imò & etiam aqua ſimplex fontana in nonnullis morbis, ut in ſummo viſcerum ardore, in febre continuâ & intermittenti, præſertim in *pirexiâ* febris ad compeſcendam ſummam ſanguinis fermentationem. Verùm non adeò refrigeratæ epotari debent in ventriculi & inteſtinorum inflammationibus, nec in pectoris affectibus. Adhiberi poſſunt

in inflammationibus hepatis, lienis: nam in his viſceribus ſanguinis motum non retardant, ut in aliis, in quâ immediatè agunt. (*m*)

Ptiſanæ refrigerantes multùm proſunt in hemicraniâ, in phrenitide, in delirio, &c. Præſcribi quoque poſſunt in fluxu immoderato menſium, & etiam in magnis uteri hæmorragiis quæ partum difficilem ſubſequuntur.

Frequentiſſimè exhibentur in cholera-morbo, & in diarrhæa bilioſâ, utpotè quòd ſalia acria bilis nimis exaltata ſummè diluunt. In hiſce morbis magnam harum ptiſanarum copiam epotare debent ægri, ut præcaveatur ventriculi & inteſtinorum eroſio, quàm procreant ſucci cauſ-

---

(*m*) In omnibus inflammationibus internis ſive lienis, hepatis, pulmonum, ſive uteri, cautè vitandæ ſunt ptiſanæ nive aut glacie refrigeratæ; nam denſando ſanguinem, materiam morbificam magis compingunt, & reſolutioni ineptam reddunt, unde ſæpè partis inflammatæ mortificatio,

tici, dum largo ptiſanarum refrigerantium hauſtu ſufficienter non diluuntur.

In uſu frequenti apud noſtrates hodiè eſt aqua calida: manè jejuno ventriculo epotare ſolent magnum aquæ calidæ cyathum ad deturbandas è ventriculo ſaburras in eo per noctem congeſtas, quæ ſanè digeſtiones perverteret.

Ex iiſdem ſimplicibus parantur ptiſanæ, ac julepi ex decocto; ſed in minori doſi, quamquàm decoquantur, aut infundantur in majori aquæ copiâ. Parari numquàm debent ex ſimplicibus nimis amaris, aut maximè faſtidioſis pharmacis, ne eas reſpuant ægri.

Ptiſanæ preſcribi ſolent ad ℔ vi. imò etiam ad ℔ viij aut ix; vel præſcribuntur tantùm ad ℔ iij. dum facilè corrumpuntur, ut ptiſana cornu cervi, quæ per ſex aut octo ad ſummum dies ſervari poteſt.

Quoad doſim ſimplicium, pro tri-

bus aquæ libris radices præſcribuntur ad ℥iß, herbæ ad m. ij, parvi fructus ad ʒvj, mediocres ad par. viij, majores, ut mala citrea, n°. i. ſemina ad ℥ß, flores ad m. i. & glycyrrhiza ad ʒiij.

Ptiſana quæ *regia* dicitur, eſt catharticum paratum ex ſennâ frigidè infusâ in amploaquæ fontanæ cyatho, cum citreo in taleolas ſecto, roſis rubris & glycyrrhizâ, & poſt infuſionem decem aut duodecim horarum, trans linteum trajiciendus eſt liquor. Pro quâlibet ptiſanâ regiâ ſenna perſæpè præſcribitur ad ʒij, citreum in taleolas cum cortice ſectum ad dimidiam partem, liquiritia ad ʒiß. aut ʒij, & roſæ rubræ ad p. i. Ut vis ptiſanæ regiæ cathartica major fiat, ei adduntur x, aut xij roſarum pallidarum alabaſtri, dùm vigent, vel aliis anni temporibus ℥ij, aut iij aquæ roſarum novem infuſionum.

Cùm movenda eſt ptiſanâ regiâ

alvus eorum, qui nimis æſtuant, aut qui difficillimè purgantur, eis præſcribendi ſunt duo aut tres ptiſanæ regiæ cyathi, quos epotabunt alternâ quâque horâ. Ad parandos tres ptiſanæ regiæ cyathos præſcribuntur ſennæ mundatæ ℥ß. citreum i. liquiritiæ ℥ß. & roſarum rubrarum p. iij. ptiſanæ regiæ perſæpè additur abſinthii minoris, aut centaurei minoris p. ß. dum exhibetur ad profligandas febres intermittentes.

Adhibetur ptiſana regia ad ciendam alvum delicatulorum, & eorum qui à catharticis abhorrent: prodeſt ad purganda corpora poſt diuturnas febres nimis æſtuantia, & poſtquàm validioribus catharticis ſufficienter purgata fuerint, ut ſuperſtes materia febrilis lentè per alvum eliminetur, quin proſternantur vires. Si ptiſana regia alvum ægri ſufficienter non moveat; aut ſi (ut à morbo liberetur æger) neceſſum ſit, ut copioſa, ac longa ſit alvi

excretio, duobus aut tribus diebus continuari poteſt.

Sub finem febrium continuarum fauſtè pro potu ordinario adhibetur ptiſana regia, ſicut etiam in delirio, motibus convulſivis ac convulſionibus, & in affectibus ſoporoſis, dum invitis validioribus catharticis, & emetico pluries repetito, aliiſque auxiliis in caſſum adhibitis, his affectibus ſemper detinentur ægri.

Ptiſana regia cum ſennæ mundatæ ℥ß. aut ad ſummum ʒv. quæ in aquæ fontanæ ℔ ii per xij. horas frigidè infunduntur cum malo citreo in taleolas ſecto, miros præſtat effectus, imò perſæpè majores quàm emeticum. Si deſint mala citrea, eorum loco adduntur ſalis prunellæ ʒij, vel eis ſubſtituuntur iij aut iv poma regia in taleolas ſecta.

Ptiſanæ regiæ ſæpè etiam adduntur aliquot pomorum regiorum taleolæ, ut emendetur ingratus ſennæ ſapor.

[Fertur folia ſcrophulariæ aquaticæ majoris, C. B. P. emendare ingratum ſennæ ſaporem, ſi ſimul tepidè macerentur in aquâ communi.

Ptiſana regia ex ſennâ quæ cum malo citreo, aut pomo regio in taleolas ſecto in aquâ fontanâ frigidè vel tepidè infunditur, iterato hauſtu propinata apprimè convenit ad eliminandas per alvum materies acres & bilioſas, ventriculum & inteſtina ſæpè, moleſtantes; feliciter quoque adhibetur in morbis, quorum materia morbifica harumce materierum bilioſarum & acrium ſapit indolem, ut in phrenitide, febre tertianâ, febre ardenti, eryſipelatibus, &c.]

Ptiſanæ ſudorificæ præſcribuntur in morbis venereis, ut in ulcuſculis cancroſis vulgò *chancres*, in bubonibus venereis; & in gonorrhæis virulentis, ad deſtruendum viru venereum, idque per vias cutaneas eli-

minandum. Notandum tamen eſt initio gonorrhæarum ptiſanas ſudorificas non eſſe præſcribendas, quia dyſuriam exaſperarent; ſed priùs adhibendæ ſunt ſeptem vel octo diebus ptiſanæ diluentes, leviter deterſivæ ac edulcorantes; his dein ptiſanis pacatâ dyſuriâ, in uſum ſunt vocandæ ptiſanæ ſudorificæ, quæ etiam adhibentur in inveteratis rheumatiſmis, pinguia ac pituitoſa temperamenta obſidentibus. Parantur ptiſanæ ſudorificæ ex quatuor lignis aut radicibus ſudorificis, ex radice nempè chinæ & ſarſæparillæ, & ex lignis guaïaci & ſaſſafras. Uſitatiora ſudorifica ſunt radix ſalſæparillæ, & lignum guaïaci.

Ut ritè paretur ptiſana ſudorifica, ante coctionem radices & ligna debito modo inciſa macerari debent in aquâ per xxiv horas, ut emolleſcant, faciliùſque dein coctione extrahatur virtus ſudorifica.

Pro tribus aut quatuor diebus pa-

rari ſolet hæc ptiſana, cujus tres aut quatuor cyathos in die haurire debent ægri; duos nempè manè jejuno ventriculo, duos tribus horis poſt prandium, vel unum manè, alterum tribus horis poſt prandium, tertium tandem horâ ſomni, & hâc uti debent ptiſanâ per tres aut quatuor dies.

Sudorificorum doſis eſt ab ℥ij ad ℥iij pro viij aut ix. aquæ fontanæ ℔. Minori doſi præſcribitur lignum ſanctum quia aliis ſudorificis vividiùs agit, magiſque excalefacit; ſicut etiam radix chinæ, quia aliis levior eſt.

[Ptiſanis ſudorificis quandòque non additur lignum ſaſſafras propter ſaporem acrem aromaticum, & odorem fragrantem ad fœniculi odorem accedentem, quibus donatur, qui pluribus ingrati ſunt, dum aliis multùm arrident.]

Ptiſanis ſudorificis ſociatur antimonium crudum, ut ab eo adauc-

ta ptiſanarum ſudorificarum vi attenuetur, ac extinguatur cythereum viru. Nam antimonium eſt ſubſtantia metallica quæ mercurio multùm turget, quatenùs in propria antimonii minerâ reperiatur mercurius, ac ab eo arte chimicâ extrahatur. (*a*)

Adſunt qui decocto ſudorifico addunt mercurium purum ad ℔ß. Sed indè leviſſimam mutuantur vim ptiſanæ, [utpotè quòd aqua ſphæricos mercurii atomos diſſolvere ne-

---

(*a*) Antimonium eſt ſubſtantia metallica conſtans ex partibus ferè æqualibus ſulphuris inflammabilis communi ſimilis, & ſubſtantiæ regulinæ, ut edocent proceſſus chimici. Sed non turget mercurio ſtibium, ut exiſtimavit D. *Barbeirac*; nam nullo proceſſu chimico ab eo educi poteſt hydrargyrus: quapropter ſi antimonium crudum majorem ptiſanis ſudorificis impertiat vim, illa vis atomis mercurialibus non eſt tribuenda, cùm in ſtibio non lateat mercurius, ſed partibus illius ſulphuris inflammabilis communi ſimilis, quæ ebullitione è parte regulinâ diſſociantur. Inſuper quamquam nunc ſatis vigeat mos ptiſanis ſudorificis addere antimonium crudum; hæ ptiſanæ nullam ferè virtutem mutuantur ex antimonio, licèt cum radicibus & lignis hydroticis ebulliat.

quit, nec eos, propter gravitatem, ſuſpenſos detinere: his autem atomis ſphæricis, ſolidis, & ponderoſiſſimis tota debetur hydrargyri vis.]

Nucum putamina contrita ptiſaſanis ſudorificis inutiliter adduntur; nam virtutem exſiccantem eis tantùm impertiunt. Pro potu ægrorum ordinario parantur ptiſanæ ſudorificæ, iterùm coquendo reſidentiam primi decocti, cum majori aquæ copiâ, uſque tantùm ad quartæ partis conſumptionem, ut minùs ægrotantibus ſint faſtidioſæ; & hæc eſt ptiſana quæ vocatur *Bochetum*. *

PTISANA REFRIGERANS

Ad ruborem faciei.

℞. Hordei integri m. ß. radicum bugloſſi, & lactucæ ana ℥i. foliorum agrimoniæ, pimpinellæ, bugloſſi, & lactucæ ana m. ß. florum malvæ p. ij. coque in ℔ iij. aquæ fontanæ per ſemi-horam, & dein coletur.

Hoc decocto utatur pro potu or-

dinario per menſes duos, purgato corpore, primo & decimo quoque die; poterunt etiam in hujus ptiſanæ cyatho diſſolvi bis in hebdomadâ ſalis prunellæ ℈ij, & ſalis Saturni gr. vj, qui capiatur horâ matutinâ jejuno ventriculo.

Ad eumdem ſcopum.

℞. Radicum nymphææ, & dentis leonis ana ℥iij. foliorum acetoſæ, capillorum veneris & agrimoniæ ana m. j. ſeminis melonis contuſi, & in nodulo ſuſpenſi ℥ij. poma ij. in fruſtula diſſecta; florum papaveris rheados m. ß. coque in aquæ fontanæ ℔ iv. ad quartæ partis conſumptionem, & cola.

Hujus decocti capiat æger cyathos tres ſingulis diebus, manè unum jejuno ventriculo, tribus horis poſt prandium alterum, & tertium horâ ſomni.

Vel

℞. Radicum fragariæ & acetoſæ ana ℥i. fructuum kinorrodontis contuſorum

in nodulo ſuſpenſorum par xxx. coque in ℔ iv. aquæ fontanæ ad quartæ partis conſumptionem; & cola ad uſum.

PTISANA LENIENS.

℞. Radicum nymphææ & bugloſſi ana ℥ij. radicis althææ ℥i. foliorum bugloſſi & capill. veneris ana m. j. ſeminis papaveris albi contuſi & in nodulo ſuſpenſi ℥i florum malvæ, aut violarum recentium ana m. ß. coque in ℔ iv. aquæ hordei per ſemi-horam; & cola.

Hujus decocti, per novem dies, cyathis tribus aut quatuor ſingulis diebus utatur æger.

Hæc ptiſana ad humorum acrimoniam demulcendam valdè commendatur in dyſenteriâ, in principio gonorrhææ virulentæ maximo urinæ ardore ſtipatæ, in tuſſi moleſtâ, in cutis prurigine, in ſcabie, eryſipelate.

PTISANA

Ad ſiſtendam hæmorrhagiam.

℞. Radicum ſymphiti majoris & bugloſ-

ſi ana ℥i. liquiritiæ raſæ ʒij. foliorum plantaginis m. j. roſarum rubrarum p. j. coque, ut artis eſt, fiat ptiſana.

PTISANA DILUENS.

℞. Hordei integri m. ß. radicum dentis leonis, & fragariæ ana ℥ij. foliorum capillorum veneris & pimpinellæ ana m. j. flor. malv. p.ij. coque, ut artis eſt, fiat ptiſana.

* Neminem fermè fugit ptiſanam diluentem eſſe pernecesſariam in omnibus morbis in quibus valdè exagitatus eſt ſanguis, & ſalibus fixis ſaturatus, ut in (febre ardenti malignâ, in variolis, eryſipelate, & in) ſiti morboſa; nam non ſolùm diluit ſalia craſſa quibus ſcatet ſanguis, & ea per urinas eliminat; verùm etiam ea diluendo nimiæ eorum fermentationi obſtat.

Ex machinæ humanæ ſtructurâ apprimè noſcitur diluentium neceſſitas, quæ fluida diluendo, depurationi ſanguinis favent, (morbos præcavent), faciliòremque ſanguinis circuitum efficiunt; nam ille ſummus vaſorum

lymphaticorum apparatus in receptaculum *pequeti*, in ductum thoracicum, & in venam ſubclaviam, quò tendunt omnes lymphatici ductus, advehit tantùm ac effundit humorem ſeroſum ſale acri ſaturatum, (*o*) non ſolùm ut viæ chiliferæ detergantur, liberæ ac patentes ſerventur, & ut chilus diluatur; verùm etiam ut ſanguis ſubclaviæ venæ, qui, ſcientibus omnibus, è partibus ſuperioribus reducitur, liquidior fiat; nam hicce ſanguis craſſus eſt, & craſſior ſanè adhuc fieret in trunco ſuperiori, ac in ſinu venæ cavæ, ſi lympha ei non permiſceretur; unde certè varii in pulmonibus exorirentur infarctus,

(*o*) Humores noſtros naturaliter conſtitutos ſalem nec acidum nec alkalinum, ſed muriaticum continere poſt plura ac repetita experimenta hodiè receptum eſt; itaque lymphà ex omnibus partibus corporis redux in venas ſanguiferas, ſed præſertim mediantibus viis chiliferis, & canali rorifero Bilſii in ſubclaviam effuſa, ſalem acrem non continet, ſed muriaticum in ſummâ aquæ copiâ ſolutum, & permixtum cum partibus gelatinoſis ſummè attritis ac diviſis.

quos malus ſubſequeretur exitus. In cerebri ventriculis obſervatur adhuc humor ſeroſus qui in plexu choroideo ſecernitur, & in glandulam pituitariam per infundibulum delabitur, ac in ſinus ſellæ turcicæ proximiores, ubi permiſcetur ſanguini è baſi cranii reduci, & inde per ſinus *Louveri* tranſit, & effunditur in venam jugularem ad diluendum cerebri ſanguinem, qui in eo, amiſſis partibus ſuis ſpirituoſis, ac volatilibus, craſſus factus fuit. Sic & quoque obſervamus glandulas ſuperiori renum parti incumbentes ſecernere humorem ſeroſum, qui propriis tubulis in venas emulgentes effunditur, ubi permiſcetur ſanguini è renibus reduci, eum diluit, fluxilioremque reddit, utpotè quòd ille ſanguis ferè totum amiſit ſerum in renibus; & craſſus factus fuit; cùm ab eo urina fuerit ſecreta, quæ ſalibus acribus in ſummâ aquæ copiâ ſolutis ſcatet, & quæ conſequenter vi valdè diluenti pollet *.

PTISANA DIURETICA In Nephritide à calculis.

℞. Radicum graminis & fragariæ ana ℥ ij. foliorum capillorum veneris, pimpinellæ & parietariæ ana m. ß. florum malvæ m. ß. coque in ℔ iv. aquæ fontanæ per ſemi horam,& cola.

PTISANA AD NEPHRITIDEM.

* D. *De Lamoignon de Baville* in hacce Provinciâ ſummus Præfectus, ad præcavendos dolores nephriticos hæreditarios, quibus diſcruciabatur, feliciter fuit uſus ptiſanâ ex calcitrapa & parietaria paratâ: nos quoque feliciter adhibuimus eam ac præſcripſimus pluribus, qui hiſce doloribus obnoxii erant. Hæc ptiſana diuretica leviter abluit ac detergit renes, & eliminat arenulas, quæ in renum ſubſtantiâ morantes, paroxyſmos nephriticos accerſunt. En illius ptiſanæ præparandi & exhibendi ratio, quam ille Occitaniæ ſummus Præfectus promulgavit.

Primò cujuſque menſis die, manè jejuno ventriculo propinatur cyathus vini albi, in quo per noctem infuſa fuit ℥i. primi corticis radicis calcitrapæ fine Septembris effoſſæ. Eodem die ſerotinis horis aſſumuntur parietariæ lotæ & mundatæ m. i. ligni ſaſſafras, & ſeminis aniſi ana ℥i. & cinnamomi ℥ß bulliant ſimul lento igne in aquæ fontanæ ℥viij, per quartam horæ partem; dein per noctem ſuper cineres calidos infundantur, vaſe operculo ac papyro optimè cooperto. Summo manè ad ignem lentum iterùm admoveantur, ut iterùm ebulliant, & peractâ levi ebullitione, fiat trans linteum cum forti ingredientium expreſſione colatura, in quâ diſſolvantur ſacchari candidi ℥ij. Hæc infuſio calidiſſimè eſt propinanda, & nullum exhibendum eſt alimentum niſi tribus poſt elapſis horis, quod etiam eſt obſervandum poſt ſorbitionem infuſionis corticis radicis cal-

citrapæ in vino albo. Inſuper hujuſce remedii uſus nullum particulare vitæ regimen exigit. *

[Ad præcavendos dolores nephriticos à nonnullis etiam ſummoperè commendantur folia *uvæ urſi*, gallicè *vigne d'Ours ou Bouſſerole* in pulverem tenuiſſimum redacta, quæ urinas pellendo vias urinarias à muco viſcido, & ab arenulis liberant, quod non ſemel obſervavi. Pulvis *uvæ urſi* eſt præſcribendus à ℈i. ad ʒi. ſed ſolet præſcribi ad ʒß. manè jejuno ventriculo per ſex aut octo dies, ſed tantùm alternis diebus eſt deglutiendus in juſculo communi, vel in cyatho infuſionis *thé* aut capillorum veneris, &c. Et die in quâ non deglutitur pulvis *uvæ urſi*, propinandus eſt cyathus amplus levis decoctionis parietariæ, quæ vias urinarias abſtergendo excretioni arenularum, aut muci viſcidi favet.

Remedium Dæ. *Stephins* aptiſſimum quoque eſt ad promovendam

excretionem arenularum ſubſtantiam renum tubuloſam impedientium, dum peritâ manu præſcribitur; nam alioquin multùm accendit ſanguinem, dolores nephriticos renovat, dyſuriamque concitat. Hocce remedium non infringit calculum, cùm verè eſt efformatus, ut plures exiſtimant, ſed vi diureticâ calidâ & abſtergenti, quâ pollet, urinas pellit, arenulas molles in ſubſtantiâ renum impactas infringit, earumque excretionem promovet.]

PTISANA APERIENS.

℞. Radicum anonidis & graminis ana ℥i. radicis petroſelini ʒiij. foliorum agrimoniæ, pimpinellæ, & capillorum veneris ana m. i. florum calendulæ m. ß. coque in ℔ v. aquæ fontanæ per ſemi horam, & cola.

Vel alia cum ferro & rheo.

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ ℥iv. coque in aquæ fontanæ ℔ viij. in quibus infunde frigidè rhei minutim inciſi, & in nodulo ſuſpenſi ʒiß. cola ad uſum.

* Sæpè in ptiſanâ relinquitur limaturæ ferri rubiginoſæ nodulus, ſed quâ proportione ptiſana hauritur, nova in vas affundenda eſt aqua. Hâc ptiſanâ per tres menſes uti poſſunt ægri, ſed bis in menſe eorum alvus eſt movenda; bis etiam in menſe renovanda eſt limatura ferri rubiginoſa, & rhabarbari nodulus eſt tantùm renovandus quotieſcumque nova paratur ptiſana, [nova autem paratur ptiſana, dum rheum, nullum ampliùs colorem luteum aquæ impertit.]

Parari etiam poteſt ptiſana cum ferro, infundendo tantùm ferrum rubiginoſum, aquâ tamen calidâ lotum, in urceo aquæ fontanæ pleno. Hæc infuſio valdè eſt proficua, nullomodò eſt faſtidioſa, & eâ pro potu conſueto uti poſſunt ægri, cum quintâ parte vini ferrati, quod paratur infundendo in vini albi ℥xv. croci martis rore maïali ppt. ℥i; eadem croci martis rore maïali ppt.

uncia quater adhiberi poteſt ad parandum vinum ferratum.

Hoc aperiens leviſſimum eſt, & ſine æſtu organa ſecretoria reſerat. Adhibetur feliciter poſtquàm ægri uſi fuerint opiatis, & juſculis aperientibus, imò etiam quin præceſſerint ea pharmaca. Multùm confert conſtitutionibus delicatulis, & his qui præfractè omnia remedia reſpuunt. *

[*PTISANA*
Aperiens & diuretica calida.

♃. Radicum petroſelini, aſparagi, & rubiæ tinctorum ana ℥ij. ſalis admirabilis *Glauberi* ʒiij. folia ſcolopendriæ n°. vj. coque in aquæ fontanæ ℔ vj. uſque ad quartæ partis conſumptionem, dein cola ad uſum.

Hæc ptiſana multùm convenit in hydrope ad eliminandum per renes ſerum ſuperabundans, vaſaque lymphatica reſeranda, quorum obſtructiones effuſioni ac ſeri collectioni in aliquâ cavitate anſam præbent. Pti-

ſana ſubſequens etiam multùm prodeſt in hoc morbo.

℞. Seminis paliuri contuſi ℥j. coque in aquæ fontanæ ℔iij uſque ad quartæ partis conſumptionem, dein colatura ad uſum ſervetur.

Ad deturbandum per vias urinarias lac, dum nutrices mammas pueris præbere nequeunt, variæ parantur ptiſanæ diureticæ, quibus uti debent nutrices pro potu ordinario. Hæ ptiſanæ initio parari ſolent cum quatuor capillis veneris, vel cum radice graminis, & foliis ſcolopendriæ. Verùm ſi nullum effectum præſtent hæ ptiſanæ, efficaciores ſunt adhibendæ, quæ parari debent cum radicibus aperientibus; in hoc caſu multùm commendatur radix arundinis: miros itaque præſtat effectus ptiſana ſubſequens.

℞. Radicis arundinis ℥iij. folia ſcolopendriæ nº. viij. coque in aquæ fontanæ ℔ vj. ad quartæ partis conſumptionem, & cola pro potu ordinario.

Hæc ptiſana non ſolùm prodeſt ad deturbandum per urinarias vias lac, dum nutrices ubera pueris admovere nolunt; verùm etiam feliciter adhibetur ad evacuandum per renes lac ſuppreſſum, ac in varias partes effuſum, ubi varia concitat ſymptomata. Hæc ptiſana tepida eſt exhibenda, ut efficacior fiat.

Dum nutrices ptiſanis diureticis utuntur ad deturbandum per renes lac, debent attentè mammas ab aëre frigido immunes ſervare, eas inungere cum butyro rancido, aut oleo chamæmeli, aut litu ad fugandum lac, capite *de Litu* præſcribendo, & ſemel, bis aut ter in die ubera ſua palmis preſſare, aut catellis præbere debent, ut in mammis fluidum ſervetur lac, & ut à ſecreto lacte, & in vaſis galactophoris hærente liberentur, & ut vitentur tumores lacteo-phlegmonodei, quibus ſæpiſſimè diſcruciantur nutrices.

Inſuper

Inſuper efficaciores præſtabunt effectus hæ ptiſanæ, ſi venæ ſectiones, ac catharticæ potiones præceſſerint; & tardi erunt earum effectus, ſi diætam parùm nutrientem non ſervent nutrices.]

PTISANA

Purgans Regia dicta.

℞. Sennæ mundatæ ℥ij. citrei dimidium in fruſtulâ diſſectum. Liquiritiæ ℥iß. roſarum rubrarum p. j. infunde in aquæ fontanæ cyatho amplo per noctem ſub dio frigido, capiatur colatura manè.

Si non ſatis purgaverit hæc ptiſana, poterit in eâ diſſolvi ſalis polychreſti D. *Seignette* ℥ß.

Vel

℞. Sennæ mundatæ ℥ij. ſalis prunellæ ℥ß. liquiritiæ ℥iß. calicum roſarum rubrarum par. vi. infunde per horas viij. frigidè in aquæ fontanæ cyatho amplo, capiatur colatura manè.

Vel

℞. Sennæ mundatæ & liquiritiæ ana ℥ij.

foliorum pimpinellæ m. j. florum violarum recentium m. ß. infunde in cyatho amplo aquæ fontanæ per noctem frigidè, capiatur colatura manè.

Vel

℞. Tamarindorum pinguium ʒvi. bulliant in aquæ fontanæ ℥x. in quibus infunde frigidè ſennæ mundatæ ʒij. pomum unum redolens in fruſtulâ diſſectum, ſeminis lini ʒiij. fiat ptiſana, quæ detur manè.

PTISANA

Aperiens & purgans in Hydrope.

℞. radicum bruſci & ononidis ana ℥i. fructuum kinorrodontis contuſorum in nodulo ſuſpenſorum par. xxx. coque in aquæ fontanæ ℔ iv. ad tertiæ partis conſumptionem; in hoc decocto infunde ſennæ mundatæ ʒvi. ſalis polychreſti vulgaris ℥i. dein colatura ſervetur ad uſum.

Dilutum caſſiæ.

℞. Medullæ caſſiæ recenter extractæ, & per colum aut ſetaceum trajectæ ℥ij. diſſolve in decocti hordei cyathis tribus, & colentur. Capiatur cyathus pri-

mus horâ ſextâ matutinâ, alter horâ ſeptimâ, & tertius duabus poſt horis.

* Diſſolvi poteſt medulla caſſiæ in ſero lactis, præſertim dum in nephritide exhibetur. Dilutum caſſiæ apprimè convenit in omnibus imi ventris inflammationibus, & in paſſione Iliacâ ſeu *miſerere*, pro potu ordinario. Si ſenſus ventriculi acutior ſit, ita ut aqua & juſcula vomitum provocent, tunc in aquâ hordei, in quâ medulla caſſiæ eſt diſſolvenda, decoquendum eſt caput papaveris albi, quod ſenſum ventriculi acutiorem vi ſuâ narcoticâ obtundendo, actioni catharticæ medullæ caſſiæ favebit.

PTISANA

Cum pullo gallinaceo.

Ptiſana cum pullo præbet ſpeciem juſculi valdè diluti. Paratur decoquendo per duas horas pullum gallinaceum pelle denudatum, & exen-

teratum in aquæ fontanæ ℔ iv. aut v; dein trajiciendo decoctum trans linteum cum forti pulli expreſſione.

[Hæc pulli ptiſana pro delicatulis aromatizatur cum fruſtulo cinnamomi, aut pluribus fruſtulis corticis flavi, & tenuiſſimi citrei, quæ ſub finem coctionis in ollam projiciuntur; & tunc potum non ſanè faſtidioſum, ſed gratum præbet.]

Per hebdomadam duo aut tres in die cyathi ptiſanæ pulli exhiberi poſſunt in ſummis viſcerum ardoribus, & in viarum aërearum ſiccitate ac irritatione; ſed feliciter adhibetur longis & iteratis hauſtibus, in cholerâ - morbo, in ſummâ bilis exaltatione in ventriculum redundantis, ut ejus temperetur ardor, ejuſque acrimonia obtundatur; certum eſt enim bilem exaltatam ſalibus acribus, quibus pollet, brevi temporis ſpatio ventriculo gangrænam concitare, quæ præcavetur diluendo largo hauſtu ſalia acria, eorumque vim infringendo.

[Ptiſana pulli pro potu ordinario eſt præſcribenda, dum in morbis adeſt indicatio diluendi ac edulcorandi, quæ indicatio rara non eſt, ſed frequentiſſimè in praxi offertur.

Ex oryzâ & avenâ parantur ptiſanæ edulcorantes ac diluentes, quæ loco ptiſanæ pulli, adhiberi poſſunt ad eaſdem indicationes adimplendas: verùm ptiſana pulli his eſt ſemper præponenda. Subſequenti modo præſcribuntur.

PTISANA
Cum oryzâ aut avenâ.

♃. Orizæ aut avenæ cochlearia ij. bulliant in aquæ fontanæ ℔ iv. per horam 1 & ß. dein colatura ſervetur ad uſum.]

Ad curandas variolas olim in uſu frequenti erat ptiſana cornu cervi à veteribus Medicis multùm laudata, quòd ab eis inter alexipharmaca annumeraretur. Sed in hoc curando morbo multò ſatius eſt ptiſanâ di-

luenti & edulcoranti uti, quia ptiſana cornu cervi ſanguinem multùm accendendo ſecretioni ſeminii varioloſi obſtat; præptereà quòd facilè corrumpatur, & eam ſorbendo faucibus acorem relinquat, undè ægrotantibus fit faſtidioſa, qui dein præfractè eam reſpuunt. (*a*)

Sic præſcribi ſolet ptiſana cornu cervi. *

PTISANA CORNU CERVI.

℞. Raſuræ c. c. & eboris ana ℥ij. coque in aquæ fontanæ ℔ ij ad quartæ partis conſumptionem, & colentur pro potu ordinario.

(*a*) Quamquàm in curandis variolis frequentiùs ſint adhibendæ ptiſanæ diluentes, attamen ex earum curatione non omninò eſt ableganda ptiſana cornu cervi, quæ virtute diaphoreticâ (quâ pollet) depurationem contagii varioloſi multùm promovet, dum ob ſanguinis craſſitiem & lentorem languet. Nam in variolarum curatione tota ſpes non eſt reponenda in cardiacis, volatilibus, & alexipharmacis, ut nonnulli exiſtimant; nec ſolis refrigerantibus, diluentibus, & edulcorantibus eſt inſiſtendum, ut alii falsò opinantur, ſed earum varianda eſt curatio, non ſolùm pro variis ſatisfaciendis indicationibus, verùm etiam pro diſſimili variolarum periodo.

PTISANA DIAPHORETICA

Gonorrhææ virulentæ, ulcuſculis pudendi, & bubonibus venereis dicata.

℞. Antimonii crudi craſſiuſculè triti, & in nodulo ſuſpenſi ℥vi. ſarſæparillæ minutim ſectæ ℥ij. infunde per horas xxiv. ſupra cineres calidos in aquæ fontanæ ℔ viij. dein coquatur ad mediæ partis conſumptionem, & coletur.

Hoc decocto utatur æger per xv. aut xx. aut xxx. dies, ter in die, hujuſque ſingulis vicibus cyathum amplum bibat, unum manè, alterum tribus horis poſt prandium, tertium tandem horâ ſomni.

PTISANA DIAPHORETICA

In affectibus contumacioribus uſurpanda, maximè in obeſis.

℞. Antimonii crudi craſſiuſculè triti, & in nodulo ſuſpenſi ℥vi. ſarſæparillæ minutim inciſæ ℥ij ligni ſancti, ſive corticis guaïaci ℥i. radicis chinæ

in taleolas inciſæ ℥iß. ligni ſaſſafras ℥i. infunde per xxvj horas ſuper cineres calidos in aquæ fontanæ ℔ viij dein coquatur ad mediæ partis conſumptionem, & coletur.

Hujus decocti bibat æger cyathos quatuor ſingulis diebus, duos manè jejuno ventriculo, tertium tribus horis poſt prandium, & quartum horâ ſomni, continuando per dies viginti.

DECOCTUM DIAPHORETICUM

Pro macilentis & extenuatis, affectu venereo correptis.

℞. Sarſæparillæ minutim ſectæ ℥i. radicis chinæ in taleolas diſſectæ ℥ß. ligni ſaſſafras ʒiij. infunde per xxiv. horas, &c.

Præſcribitur Bochetum ſubſequenti modo.

BOCHETUM DIAPHORETICUM.

℞. Reſidentiam primi decocti, in quam affunde aquæ fontanæ ℔ xij. coquatur ad quartæ partis conſumptionem, & coletur ad uſum.

Addi poteſt ℥ß. aut ℥i ligni ſancti, ut efficacius ſit.

Aliud fortius.

℞. Reſidentiam primi decocti, cui adde ſarſæparillæ minutim inciſæ ℥ß. coquatur in aquæ fontanæ ℔ xij ad quartæ pattis conſumptionem, & coletur ad uſum.

* Adhibetur decoctum ſudorificum ad eliciendum ſudorem in inveteratis rheumatiſmis: olim adhibebatur ad curandam luem veneream. Manè propinandus eſt cyathus amplus decocti ſudorifici; unâ aut duabus poſt horis, ut eliciatur ſudor, componitur æger ſub inſtrumento ligneo cavo, dicto *l'Archet*, vel ſub conopeo dicto *le Chaſſis*, & ſub his machinis includitur etiam vas aquæ vitæ plenum. Antequàm ſub eas machinas æger ingrediatur, accenditur aqua vitæ, ut eæ incaleſcant machinæ, & ſub eis detinetur, quouſque copioſus eliciatur ſudor;

H vj

dein conſueto more detergitur æger, & in cubili ſtragulis probè tectus collocatur, ne novus intercipiatur ſudor. *

PTISANA SUDORIFICA.

℞. Antimonii craſſiuſculè triti, & in nodulo ſuſpenſi ℥vi. ſarſæparillæ minutim diſſectæ ℥iß. infunde per xxiv. horas ſuprà cineres calidos in aquæ fontanæ ℔ viij. dein coque ad mediæ partis conſumptionem.

Hujus decocti bibat æger cyathos tres ſingulis diebus, unum manè, alterum tribus horis poſt prandium, & tertium horâ ſomni.

Duabus poſt horis ab aſſumpto primo cyatho ſudabit ad placitum ſub arculo in lecto poſito, vel ſub conopeo ex papilione ad vaporem aquæ vitæ; continuetur per novem aut decem dies. Uſus decocti hujus ſudorifici vocatur *Diæta ſudorifica*, & per id tempus ægrotantes utebantur olim cibis exſiccantibus, pane

bis cocto, carnibus aſſis & non elixis, cum amygdalis toſtis, & aliis: abſtinebant ſe à juſculis diætæ tempore, & utebantur Bocheto pro potu ordinario.

* Plures adſunt qui ad curandam luem veneream abſque inunctionibus mercurialibus, & ptyaliſmo, præſcribunt ægrotantibus ptiſanam ſudorificam, & catharticam; exiſtimando penitùs eradicari virus venereum uſu ptiſanæ hydrotico-catharticæ, quæ, ut inquiunt, partes volatiliores viru venerei per ſecretionem cutaneam foràs amandat, parteſve craſſiores per alvinas excretiones eliminat. Dum adhibent ptiſanam hydrotico-catharticam, ſemel in die etiam ægrotantibus offerunt doſim panaceæ mercurialis, aut aquilæ albæ, vel æthiopis mineralis. Ptiſana hydrotico-cathartica tentari poteſt, dum adſunt ægrotantes qui hydrargyroſim experiri nequeunt. *

[Quamquàm nulla ſit methodus certior, tutior, & efficacior ad profligandam luem veneream, hydrargyroſi methodicè adhibitâ.]

PTISANA
Sudorifica & purgans.

℞. Antimonii crudi craſſiuſculè triti, & in nodulo ſuſpenſi ℥vi. ligni ſancti ℥ij. infunde per xxiv. horas ſuper cineres calidos in aquæ fontanæ ℔ viij. dein cóque ad mediæ partis conſumptionem. In colaturâ infunde ſuper cineres calidos per horas viij. ſennæ mundatæ ℥ij, rhei electi & contuſi ℥ß. turpethi gummoſi, & hermodactylorum ana ʒiij, & poſt levem ebullitionem colentur.

Hujus decocti capiat æger cyathos duos vel tres ſingulis diebus, unum manè, alterum tribus horis poſt prandium, tertium ante decubitum.

* Loco ſennæ, rhei, turpethi, & hermodactylorum infundi poteſt frigidè in ptiſanâ ſudorificâ ʒß. aut

℈ij. pulpæ colocynthidis, quæ miros præſtat effectus. Vidi plures ægrotantes lue venereâ correptos, qui feliciter uſi ſunt ptiſanâ ſudorificâ, in quâ maduit pulpa colocynthidis. (*a*)

Si uſu ptiſanæ ſudorificæ nimis æſtuent ægri, aut ſi poſtquàm eâ fuerint uſi, nimios in corpore percipiant ardores, ad eos ſedandos, eis per decem dies propinandum eſt lactis ſerum.

Inſuper ptiſanis ſudorificis non ſunt addendæ herbæ refrigerantes, quia facilè corrumpuntur. Acida

(*a*) Pulpa colocynthidis cautè eſt adhibenda in ptiſanâ ſudorificâ, nam quamquàm ejus uſu ſymptomata luis venereæ diſcuti videantur, non curatur tamen lues venerea, cùm paulò poſt vividiùs recrudeſcant eadem ſymptomata; id experiuntur meretrices quæ manè jejuno ventriculo ſæpè ſorbent cyathum vini albi, in quo per noctem maduit pulpa colocynthidis, ad profligandam gonorrhæam virulentam, quæ illo hauſtu profligata videtur; ſed paulò poſt cum ſævioribus ſymptomatibus ſolet recrudeſcere.

etiam eis non ſunt addenda, dum earum compoſitioni admiſcetur antimonium, quia ab acidis partes aliquas regulinas evolventibus emeticæ fierent. (*o*)

(*o*) Apud omnes qui de arte chimicâ ſcripſêre, dum de antimonio paſſim, reperitur ab acidis mineralibus infringi vim emeticam antimonii, & ab acidis è contrà vegetabilibus ſemper intendi; hinc non exhibenda, inquiunt, præparata ſtibii, quæ vomitum non movent, dum in primis viis latent acida, nec eis admiſcenda acida vegetabilia, ne emetica fiant. Verùm ſi id ſit pertimeſcendum, cur 1°. antimonium diaphoreticum vomitum ſemper non movet, dum latentibus in primis viis acidis exhibetur? nam pluries conſultò præſcripſi antimonium diaphoreticum ægrotantibus, qui ructibus acidis diſcruciabantur, quin ſubſecutus fuerit vomitus. 2°. Cur feliciter ab omnibus clinicis exhibetur ptiſana ex fruſtulis limonum parata, ægris qui præpoſterè tartarum ſtibiatum deglutiere, ut infringatur tartari ſtibiati vis, & pacetur vomitus? 3°. Cur vinum emeticum omnem vim amittit emeticam, dum aceſcit? id ſanè evenire non deberet, ſi ab acidis vegetabilibus intenderetur vis emetica antimonii.

CAPUT VIII.

DE SYRUPIS.

[*Syrupus eſt medicamentum liquidum ex ſucco, decocto, aut infuſo herbarum, paratum cum ſaccharo ad certam conſiſtentiam coctum.*]

SYrupi qui in praxi medicâ adhibentur, *officinales* vel *magiſtrales* dicuntur.

Officinales ſyrupi ſunt ii qui in officinis ſervantur.

Magiſtrales verò, qui quotidiè à Medicis præſcribuntur, ad varia profliganda mala, & ex tempore parantur.

Syrupi *officinales* & *magiſtrales* alterantes ſunt, aut purgantes.

Syrupi alterantes officinales, qui frequentiùs adhibentur ad demulcendam fluidorum acrimoniam, tuſſimque ſedandam, ſunt

Syrupi Capillorum veneris,
Tuſſilaginis,
Violarum,
Florum pediſcati,
Althææ,
Nymphææ.

Syrupi officinales ad æſtum temperandum ſunt:

Syrupi de limonibus,
Granatorum,
Ribeſiorum rubrorum,
Berberis,
Ceraſorum acidulorum,
De ſucco pomorum ſine igne extracto.

Syrupi purgantes, qui in officicis habentur, ac frequentioris ſunt uſûs, ſunt ſyrupi de roſis pallidis, ſive ſimplex, ſive compoſitus

Cum ſennâ & agarico.
De cichoreo compoſitus cum rheo.
De pomis compoſitus Regis Saboris.
De rhamno cathartico
Florum perſicorum.

[Plures alii in officinis proſtant ſyrupi ad varias adimplendas indi-

cationes idonei, ut unicuique patebit officinas pharmacopolarum frequentando, & pharmacopæas evolvendo, quorum plures ſunt frequentis uſûs in praxi medicâ: tales ſunt v. g.

Syrupi *Kermeſinus* & *florum tunicæ, ſeu caryophyllorum*, qui virtute cardiacâ pollent.

Syrupi *roſarum rubrarum ſiccarum* & cydoniorum, qui virtute aſtringenti donantur.

Syrupi *de papavere* & *de ſuccino*, qui ſomnum conciliant.

Syrupi *de quinque radicibus, de althæâ Fernelii*, qui urinas pellunt, obſtructioneſque auferunt, præſertim ſyrupus de quinque radicibus.

Syrupi *papaveris rhæados, hæderæ terreſtris, & de eryſimo*, qui expectorationem promovent.

Syrupi *de abſinthio* ſimplex, ſed præſertim compoſitus & de *kinâ*, qui digeſtiones firmant, appetitum proſtratum exſuſcitant, acceſſuſque febriles profligant.

Syrupus *mororum* qui affectibus oris ac imarum faucium dicatur.]

Syrupi magiſtrales alterantes ſunt ii qui à Medicis præſcribuntur, vel ad affectus pectoris profligandos, vel ad ardores compeſcendos, vel ad viſcera reſeranda; ſed nunc raro vel nunquam à Medicis componuntur, quia in officinis quàm plurimi ſyrupi alterantes habentur ad omnes indicationes adimplendas idonei, & ad æſtum fluidorum temperandum tuſſimque ſedandam.

Præſcribuntur nunc tantùm ſyrupi *magiſtrales purgantes*, qui præparantur ex decocto, aut ſuccis, & ſaccharo ad partes ferè æquales, quæ dein lento igne concoqui debent ad ſyrupi conſiſtentiam. Decoctum pro ſyrupo, aut ſucci ad eos parandos excedere non debent ℔ i aut ad ſummum ℔ i ß.

Ex iiſdem ſimplicibus, & eâdem doſi paratur decoctum pro ſyrupo ac pro apozemate; & ex herbis aut

ex fructibus exprimuntur ſucci quibus componi debet ſyrupus.

Purgantia quæ infundi aut decoqui debent in decocto, aut in ſuccis ad præparandum ſyrupum magiſtralem purgantem, præſcribi debent majori doſi, quàm ad apozema purgans componendum; [quòd decoctione, & infuſione longâ, ac ſacchari viſcoſitate plurimùm imminuatur, ac obtundatur catharticorum vis.] Præſcribi itaque ſolent ad triplam doſim, ut exemplis ſubſequentibus patebit. *

SYRUPUS

Alterans ſimplex ad ſputum ſanguinis.

♃. Succorum plantaginis & urticæ ritè defœcatorum ana ℔i. ſacchari roſati ℔ i. coque & fiat ſ. a. ſyrupus, quo utatur cochleatim per intervalla.

In pthiſi ad deterſionem ulceris excitandam, & expectorationem promovendam parari poteſt ſyrupus cum hederâ terreſtri.

[Hic ſyrupus de hederâ terreſtri in omnibus officinis ſemper proſtat, & ad ſatisfaciendum his indicationibus in uſu eſt frequenti.]

SYRUPUS
Purgans ex ſuccis in melancholiâ atrabilariâ.

℞. Succorum pomorum redolentium, borraginis, & cichorei ana ℔ i ß. in quibus infunde ſennæ mundatæ ℥iij. rhei minutim conciſi, & in nodulo incluſi ℥i. ramentorum hellebori nigri ℥ß. cremoris tartari ʒiij. ebulliant ſimul, dein in colaturâ diſſolve ſacchari optimi ℔ ij. fiat ſyrupus ſ. a. de quo capiatur bis per hebdomadam, cum juſculo herbis refrigerantibus alterato.

Si ſyrupus non ſatis purgaverit, debent in juſculo herbis refrigerantibus alterato infundi ʒij ſennæ mundatæ.

[*SYRUPUS*
Diarrhæis dicatus.

℞. Aquarum plantaginis, & roſarum

rubrarum ana ℔ i. infunde per noctem ſuper cineres calidos roſarum rubrarum m. i. manè adde rhei electi, & craſſiuſculè triti ℥ß. bulliant lento igne uſque ad conſumptionem tertiæ partis, dein in colaturâ diſſolvatur ſacchari candidi ℔ i. iterùm bulliant ad conſiſtentiam ſyrupi parùm ſpiſſi.

In tres æquales doſes dividendus eſt hic ſyrupus, quæ ægro diarrhæâ correpto ſpatio trium dierum propinandæ ſunt manè jejuno ventriculo. Prima doſis alvum ſufficienter movet, ſecunda minùs, & tertia eam aſtringit, quod experientiæ quotidianæ conſonat.]

SYRUPUS

Ex decocto, aperiens & purgans in viſcerum obſtructionibus.

♃. Radicum bruſci, & aſparagi ana ℥iij. foliorum cichorei ſilveſtris cum toto, pimpinellæ, capillorum veneris, & agrimoniæ ana m. ß. chærefolii m. ß. coque ad ℔ ij. in quibus infunde ſennæ mundatæ ℥iij, rhei electi ℥i. tur-

pethi gummoſi, & hermodactylorum ana ℥vi. florum calendulæ, tamariſci, & ſambuci ana m. ß. in colaturâ diſſolve ſirupi optimi ℔ iß. fiat ſyrupus ſ. a. de quo capiatur cochleatim ℥iß. vel ℥ij. bis in hebdomadâ cum juſculo, cichoreo & agrimoniâ alterato, & continuetur per tres menſes.

* Raro hodiè in uſum vocantur hi ſyrupi, anteferuntur juſcula aperientia & purgantia, quæ ſyrupis efficaciùs agunt, qui coctione longâ abſolutè neceſſariâ, ut præparentur & ſerventur, ferè totam ſuam vim amittunt. Prætereà in officinis ſervantur ſyrupi idonei ad omnes adimplendas indicationes, & quoque horæ momento in caſibus urgentioribus præſcribi poſſunt; nam in eîs proſtant ſyrupi edulcorantes, aperientes, refrigerantes, & purgantes.

Syrupi ſunt uſûs frequentiſſimi ad alvum puerulorum movendam, & ad purgandos adultos, dùm natura morbi, aut eorum conſtitutio

leviora, ac benigna cathartica ſuadent. Identidem iterari poſſunt præſertim in alvi profluviis, cum quibus tunc feliciter ſociantur grana aliquot rhei pulverati, ut virtus cathartica major [ac ſimul vis aſtringens] eis impertiatur. *

CAPUT IX.

DE LACTE, ET SERO LACTIS.

LAc præſcribitur ad ſanguinis acrimoniam leniendam, ad fluxiones in pectus ruentes coërcendas, ad rheumatiſmum, ad arthritidem, hæmorrhoïdes, & ad omnes affectus ab humorum acrimoniâ oriundos. Ejus uſus debet eſſe diuturnus, duorum, trium, aut quatuor menſium: verùm etiam annorum in inveteratâ arthritide, & pulmonum labe.

Præſcribitur lac horis matutinis jejuno ſtomacho, & quinque horis

antè paſtum. In affectibus contumacibus non ſolùm datur ſemel in die, ſed pro ſolo alimento uſurpatur ad tres vel ſex menſes; imò aliquandò ad annum. Sic præſcribitur.

Utatur lacte recenter ab ubere mulcto, & adhuc ſuo tepore animato per menſes tres, capiat ſingulis diebus manè ℥ xij vel xv. & per id tempus debet purgari decimâ quâque die cathartico convenienti. Iis quibus pulmo laborat, ſenna debet detrahi, & ejus loco rheum infundi debet ad ʒi. (*a*)

Pro ſolo alimento ſic præſcribitur.

Uſurpabit lac vaccinum recenter ab ubere mulctum pro omni alimento, & per tres menſes; ejuſque capiet in die quatuor cyathos, &

(*a*) Experientia quotidiana edocuit cathartica per uſum lactis frequenter exhibita, fauſtos lactis effectus non rarò deturbare, quocircà cathartica per lactis uſum non ſunt exhibenda, niſi indicatio apprimè ſuadeat.

& ſingulis diebus ℔ iv. (*o*) manè primum cyathum ſumet cum ſacchari roſati ℥ß; ſecundum circa meridiem; tertium horâ quartâ pomeridianâ, & quartum horâ octavâ, addito ſecundo, & quarto cyatho pane benè fermentato in taleolas diſſecto cum ſaccharo, vel cremore oryzæ ritè coctæ, aut hordei, aut avenæ.

Aliquando in affectibus pectoris, dùm ardent viſcera, doſis matutina lactis aſinini præſcribi debet, quia ſalia acria ſive fixa ſive volatilia in ſanguine luxurantia magis diluit & refrigerat, difficiliùſque in ſtomacho aceſcit: aliæ verò tres doſes erunt lactis vaccini, ut ſuprà.

N. B. Quòd per uſum lactis pro omni alimento, debeat ægrotans de-

(*o*) Determinari præcisè nequit lactis quantitas, quam haurire debent ægri, dum ſolo lacte veſcuntur; nam ratione ætatis & appetitûs, major aut minor lactis copia ſingulis diebus eis eſt propinanda.

coctum hordei bibere ſine vino, & nulla alia uſurpare præter lac. Abſtinebit à fructibus & omnibus oleribus, ne eorum alimentorum miſcelâ, corrumpatur in ventriculo, & varias affectiones accerſat.

Præſcribitur lac aſininum, & præfertur vaccino, cùm ſanguis nimiâ erveſcentiâ, & ſalibus fixis luxuriat, dum febricula magis urget ægrotantem, vel ejus paroxyſmi vehementiores ſunt, & mucilaginoſam ſanguinis partem exhauriunt.

Vaccinum antecedit aſinino in rheumatiſmo, arthritide, & aliis affectibus, in quibus ſanguis nimis acris eſt, & ſeroſus. Si lac vaccinum accendat humores, & ſtomacho ſit grave; ejus pars butyroſa in ſuperficie ejus innatans debet poſt levem ebullitionem reſcindi, & abradi; idque non ſemel tantùm, ſed bis aut ter poteſt repeti; & tunc vocatur lac à cremore purgatum, gallicè *Lait coupé*.

Aliquandò lac vaccinum præſcribitur in alvi fluxu cum ſucceſſu [modò ut non pendeat ex ventriculi cruditate , ſed ex fluidorum acrimoniâ] latere candente priùs in ipſum injecto, quo portio ejus ſeri abſumitur, & aliquod alkali ipſi communicatur ad infringendos , & abſorbendos acidorum aculeos , qui ſenſum ſtomachi & inteſtinorum hebetant. Vaccinum lac ſæpiſſimè diluitur tertiâ parte decocti hordei , aut infuſionis *thé* , aut capillorum veneris ; ne diutiùs torpeat in ſtomacho & acorem contrahat. Idem præcautum haberi debet in lacte aſinino maximè in bilioſis , & iis qui illud aliter ferre non poſſunt. (*m*)

(*m*) Nunc numquàm diluitur lac aſininum decocto aut infuſione alicujus ſimplicis , ſed integrum ac recenter ab ubere mulctum , & adhuc ſuo tepore animatum ſolet præſcribi. Lac aſininum aliis lactis ſpeciebus ſeroſior eſt , multùm diluit ac edulcorat : quocircà apprimè convenit in morbis ab ariditate , ſiccitate , & acrimoniâ pendentibus , aut ab ulcere interno , quod eſt detergendum.

Lac caprinum medium tenet inter aſininum & vaccinum, ſed hujus uſus humores accendit, quia multùm ſcatet ſalibus acribus: inſuper quòd capræ tithymalo veſcantur, cujus ſuccus cauſticus eſt, ideò niſi pauperibus nuſquàm præſcribendum. (*k*)

(*k*) Lac caprillum fit acre, & humores accendit, dum capræ plantas ſucco acri donatas, ut tithymalum depaſcuntur; verùm dum cuſtodis vigiliâ ab hiſce plantis prohibentur, lac caprillum non accendit humores, ſed eos edulcat, ac diluit; itaque fauſtè præſcribitur tum pauperibus, tum divitibus, dum adeſt indicatio corpus exhauſtum reficiendi, fluidaque ſicca & acria diluendi & edulcorandi.

Usûs frequentiſſimi eſt lac caprillum, verno præſertim tempore, & lacti aſinino tunc antefertur, quòd aſinæ tunc temporis æſtu aphrodiſiaco urantur; ſicut etiam autumnali tempore rarò præſcribitur lac caprillum, quòd ob eamdem rationem ſuſpectum habeatur, ſed in hâc tempeſtate lac aſininum caprillo eſt præponendum. Lac caprillum à cremore purgari, & decocto aut infuſione alicujus ſimplicis dilui poteſt; attamen frequentiùs ut lac aſininum præſcribitur recenter ab ubere mulctum ſuo tepore adhuc animatum, & ſaccharo edulcoratum. Magis prodeſt lac aſininum aut caprillum dum adhuc ſuo tepore animatum hauritur: itaque

[Lac ovillum, quod, ratione conſiſtentiæ, vaccinum ſubſequitur, ferè numquàm eſt adhibendum, niſi priùs à cremore purgatum, & ſecundâ aut tertiâ parte decocti hordei, aut graminis, aut infuſionis *thé* dilutum fuerit, ne diutiùs in ventriculo moretur, acorem in eo contrahat, & diarrhæam concitet. In alvi profluviis à fluidorum acrimoniâ ad diſſolutionem tendentium productis, non ſemel præſcriptum fuit feliciter lac ovillum ritè à cremore purgatum, & decocto hordei dilutum, in quo dein later candens extinctus fuerat.]

Lac muliebre naturæ noſtræ magis analogum ſero maximè abundat, & ideò miros præſtat effectus ad humorum ardorem compeſcendum, & ad prava fermenta

ut ille naturalis tepor ſervetur, propè ægri cubiculum inducenda eſt aſina aut capra, & in vas calefactum, aut in aquam ferventem immerſum mulgendum eſt lac.

eluenda, quò fit ut illud præſcribatur in incipiente pthiſi, in maraſmo, febri lentâ, & in ulceribus internis, quæ exacerbationibus febrium ſtipantur. Verùm ſuctio, quæ ad lac è mammis ſugendum eſt neceſſaria, fluxiones in guttur quandòque accerſit, ideòque eligenda eſt nutrix, quæ uberrimam lactis copiam profundat, ut ſuctio ſine labore peragatur.

Sunt qui lac nullo modo ſuſtinere poſſunt niſi priùs coctum, in quo caſu debet in eo diſſolvi vitellum ovi unius cum pauco ſaccharo.

[Neceſſe admodùm eſt lacti addere ſaccharum, ad ſaporem gratum; nam quotidiana obſervatio edocet quòd lac ſine ſaccharo ſæpiſſimè in ventriculo diutiùs moretur, eum moleſtet, ac in eo ſæpè aceſcat; dum è contrà ſacchari auxilio ventriculo arridet lac, in eo acorem non contrahit, citiùſque in ſanguinem tranſit.]

In gonorrhæâ virulentâ lac præſcribitur felici cum ſucceſſu, præmiſſis, initio morbi, diluentibus & lenientibus, & poſteà decoctis ſudorificis, & pillulis antivenereis cum purgatione neceſſariâ, ſed tunc lacti permiſceri debet tertia pars decocti ſarſæparillæ.

[Lac dilutum cum ſecundâ aut tertiâ parte decocti ſarſæparillæ, aut chinæ multùm etiam prodeſt in doloribus rheumaticis à lymphæ ſpiſſitudine cum aliquali acrimoniâ productis.]

Præſcribitur etiam lac eis qui debilem habent ſtomachum cum tertiâ parte infuſionis *caffé*; vel potus *caffé* paratur cum lacte, & tunc vocatur gallicè *du caffé au lait*.

Impedit lactis coagulationem in ſtomacho prima aqua calcis vivæ per cartham emporeticam trajecta ad tria cochlearia.

[Ut impediatur in ventriculo lactis coagulatio, ſatius eſt adhibere

ſecundam calcis vivæ aquam, utpotè mitiorem, ad duo aut tria cochlearia lacti permixta, quàm primam; nam ab uſu primæ calcis vivæ aquæ ardent ſæpè viſcera, incenditur ſanguis, ſitiſque morboſa concitatur. Præcavent & quoque lactis coagulationem folia menthæ hortenſis ad m. ß, quæ diſperguntur in linteum, in quod dein mulgendum eſt lac. Folia menthæ ſic lacti impertiunt vim levem ſtomachicam, ſed ſufficientem ut lac pravam in ventriculo alterationem non contrahat, citiùſque in ſanguinem tranſeat.]

In febre maximâ non debet præſcribi lac ob ſtomachi infarctum à pravis ſuccis in ejus cavitate nidulantibus, qui lac corrumperent. In ſingultu tamen ſymptomatico ter quaterve hauritur lac, & uſurpabitur ſingulis vicibus cyathus amplus, ut ſalia acria ſtomachum laceſſentia demulceantur, urgente alioquin febre.

Vidimus D Mareſchallum *de Chombert*, & alios viros illuſtres vomitu acido tam vexatos, ut humor ejectus non ſolùm hebetaret, & eroderet dentes, ſed quoque ſuper terram decidens fermenteſceret.

Hoc ſymptoma cujuſcumque remedii vires eluſerat, incaſſum fuerant præſcripta martialia, purgantia, emetica, aperientia, aquæ thermales, pillulæ aloës ſuccotrinæ, & alia acidis infringendis dicata. Malum ſemper exacerbabatur, & vires acquirebat eundo. Omnibus itaque ſine ſucceſſu tentatis, venit in mentem D. *Barbeirac* lac præſcribere, ut mos illi erat illud iis propinare qui venenum epotaverant; humores autem acidos vomitum excitantes ut venenum, aut venenatos humores intuebatur. Illud remedium tam miros præſtitit effectus pro omni alimento uſurpatum, ut ſanitate perfectâ diù potiti ſint ægrotantes. Illud aliter fieri non

poteſt, niſi demulcendo, acidorumque aculeos hebetando, quæ ſanè ſalia volatilia erant, & infimi ventris non adhuc infecerant incernicula.

Neceſſe eſt ut per uſum lactis opiata roborans præſcribatur, aut ſaltem pulvis corallorum rubrorum præparatorum, aut oculorum cancrorum ei miſceatur, ut præpediatur lactis coagulatio in ſtomacho, & ejus usûs non ſit impatiens ægrotans.

In obſtructionibus viſcerum, præſertim in ſtrumis præſcribitur lac vaccinum ſuo cremore purgatum, vel aſininum cum tertiâ parte ferri rubiginoſi infuſionis: aliquandò ferrum candens in ipſum injicitur. In iis qui cancro laborant, diuturnus debet eſſe lactis uſus, ut in ſcorbuto, & in omnibus ulceribus internis; ſed in illud injicitur mixtio ſeu amalgama hydrargyri cum plumbo igne accenſum.

Serum lactis præſcribitur ad ſanguinem & viſcera refrigeranda, & ad ſalia in eis contenta diluenda, & detergenda. Valet ergò ad omnia ulcera interna curanda, pulmonum ſcilicèt, renum, inteſtinorum, veſicæ, urethræ, &c. Ejus uſus extenditur ad decem, vel quindecim, vel viginti dies, modò ſtomachus non ſit ejus impatiens. Quantitas ſeu doſis ſeri lactis ad ℔ iß poteſt præſcribi. Imò aliquandò ad ℔ iij. partitis vicibus intra duas horas. Unicuique libræ debet diſſolvi ſacchari roſacei ℥i aut ℥iß. Eâ copiâ hauſtum valet ad ſitim maximam ſedandam, ad elephantiaſim mitigandam, & ad coërcendam ſatyriaſim. Præſcribitur ſic.

Utatur ſero lactis per xv dies, ejuſque hauriat ſingulis diebus manè ℔ i. cum ſaccharo roſaceo ℥iß. vel uſurpabit ſerum lactis per xv dies manè, ejuſque ſumet cyathos iij. partitis vicibus intra duas horas, cum ſaccharo roſaceo.

Serum lactis paratur vel cum ſucco limonnm, vel cum pomis redolentibus in fruſtula diſſectis, & in lac bullire incipiens injectis, vel poteſt extrahi cum cremore tartari, vel cum floribus *Scolymi ſilveſtris*, vel cum coagulo hœdino. Clarificatur tandem, ac defœcatur prorsùs albuminibus ovorum, & aliquandò ut purius & limpidius reddatur, per manicam hippocratis trajicitur.

Ad melancholicos, in quibus viſcera ſunt obcœcata, præſcribitur ſerum lactis, in quo fumariæ folia per noctem maduerint ſuper cineres calidos, vel manè bullierint, ut aperiens ſit, & ductus infarctos expediat, deturque exitus per propria incernicula pravis ſuccis.

Quando ſtomachus uſum ferre non poteſt, huic addi poteſt ſyrupus de chicoreo compoſitus ad ℥i. ſique aceſcat, corallum rubrum præparatum, vel oculi cancrorum admiſceantur.

[Serum lactis uſûs frequentiſſimi hodiè eſt in curatione morborum præſertim chronicorum : multùm diluit fluida, ac ea demulcet, ſolidaque exſiccata laxat, idcircò apprimè convenit, dum fluida ſicca ſunt diluenda, acria demulcenda, & dum ſolida exſiccata, & nimis vibratilia ſunt laxanda.

Verùm ut variis ſatisfaciat indicationibus, nunc viget mos cum eo, tempore clarificationis, incoquere aperientia, diuretica, ſtomachica, cephalica, & alia pharmaca morbo curando indicata.]

CAPUT X.

DE AQUIS MINERALIBUS.

AQuæ minerales dividuntur in thermales ſeu calidas ; in acidulas ſeu frigidas. Illæ pro potu, balneo, lotione, irrigatione, injectione, & aliquandò ſuffitu præ-

ſertim à mulieribus ſuppreſſione menſium laborantibus, vel prolem expectantibus, uſurpantur: eæ verò pro potu, rarò pro balneo.

Aquæ thermales præſcribuntur pro potu ad obſtructiones viſcerum, & ad ſtomachi debilitatem natam vel ab humore pituitoſo in eo congeſto, vel à bilioſo & ſeroſo, vel acido in ipſum rejecto: vel ad relaxationem fibrarum ortam à nimiâ humiditate, vel à cibo copiosè aſſumpto, vel à potu immoderatè hauſto. Ab eis autem humores in ſtomacho torpentes, & prava fermenta rejiciuntur, & per ſeceſſum deturbantur, & laxatæ fibræ firmantur. Quòd verò ſpectat ad obſtructiones, humores craſſi & viſcidi intra fibras totius corporis quaſi incuneati inciduntur, attenuantur, abraduntur, & humoribus ſuperfluis, quibus ſanguis inficitur, per ductus mox datur exitus.

Tales aquæ ſunt *Plomberianæ* in

Lotharingiâ, *Borbonienſes*, *Vithiæ*, *Dignienſes*, *Bagnolenſes*, *de la Mothe* in Delphinatu, *de Bagneres*, & aliæ ejuſmodi, ut videre eſt in libro *D. Duclos*, qui hanc partem coluit.

Aquæ noſtræ Bellilucanæ parùm obſtructionibus proſunt, & vix per urinas evacuant; ſed per ſeceſſum agunt: idcircò valent potiſſimùm ad ſtomachum, & inteſtina evacuanda, & robur ipſis conciliandum in appetitu dejecto, in coctione læſâ, in vomitu, in ſingultu, in ructu acido, & aliis ſimilibus affectibus ſtomachum exercentibus. Aquæ etiam illæ multo ſale communi imbutæ, vix poſſunt vaſa tenuia lactea penetrare, & ad vaſa ſanguinea, & viſcerum meatus pervenire propter craſſitiem ſubſtantiæ & acrimoniam, quæ membranas ſtomachi, & inteſtinorum vellicando ad ſeceſſum præcipitantur, deturbantur. Multùm etiam opitulantur aquæ Bellilucanæ vermibus enecandis, ſive teretibus,

ſive cucurbitinis, ſive aſcaridibus.

Mineralia, quæ thermæ continent, nobis ſunt nota experimentis multoties repetitis, & raró inveniuntur, ut plerique putant, *vitriolum*, *alumen*, *nitrum*, *ſulphur*, & alia ejuſmodi quæ proſtant in officinis, & quæ aquæ *nitroſæ* vel *vitriolatæ* dicuntur, nec nitro, nec vitriolo imbutæ ſunt, ſed potiùs *ſalibus terræ fixis*, quæ quamdam cum *tartaro*, vel potiùs cum *ſale alkalino nitroſo* habent analogiam. Salia illa fixa modò in cryſtallos abeunt poſt levem evaporationem, modò in fundo vaſis remanent, factâ humiditatis evaporatione. Fixa ſunt hæc ſalia, & ſemper alkalina, quod patet ex fermentatione, quam ineunt cum acidis, & ex colore viridi quo inficiuntur tincturæ florum malvæ, violarum; & ex fermentatione, quam inferunt diſſolutioni præcipitati rubri mercurii.

Salia fixa non ſolùm continent

aquæ thermales, ſed & quoque terreas partes non abſimiles iis, quæ à præterlabentibus aquis cum ſalibus abraduntur, diſſolvuntur & abripiuntur.

Præter ſalia & terram ineſt aquis mineralibus pars volatilis & ſpirituoſa, quæ nullâ arte, diſtillatione, vel præcipitatione poteſt ſiſti, ſed tota abit in auras; indèque ejus natura nos latet, quamvis in eâ præcipuæ aquarum dotes conſtent: eâ enim evaneſcente, illæ vappidæ fiunt, & parùm proſunt. Attamen ſi aquæ thermales explorentur in origine, dum adhuc calent, obſervamus illas aliam prorsùs mutationem inferre tincturis malvæ, heliotropii, aut malicorii; eis autem rubrum colorem conciliant: maximo dicendi argumento in his latitare ſpiritum acidum ſummè mobilem, & moræ impatientem, quoniam evaneſcit poſt duas aut tres horas.

Aquæ noſtræ Bellilucanæ ſale

communi imbuuntur eâ proportione ut ℔i contineat hujus ſalis ʒi. & parùm terræ. Maximus eſt aquarum thermalium uſus in morbis chronicis, imò & neceſſarius, quia ſale ſuo fixo alkalino poſſunt ſulphureas fæces, quæ in viſceribus hærent, abripere & per ductus proprios dejicere, & quod in ſanguine ſalinum eſt, diſſolvunt, & per urinas deducunt.

Sic præſcribuntur aquæ Borbonienſes.

Bibat aquas Borbonienſes per ix. dies manè, earumque hauriat ſingulis vicibus cyathos medioeres xv. partitis vicibus, & his rejectis capiat juſculum ex pullo gallinaceo, vel ex fruſtulo carnis vitulinæ confectum, & tribus poſt horis, prandeat more ſolito, purgabitur in principio & fine.

Aquæ Bellilucanæ præſcribuntur tantùm per triduum, aliquandò per ſex dies, ſed raro, & non ultrà, his

qui ſummâ ſtomachi imbecillitate laborant, in quibus maxima copia ſucci bilioſi, & viſcidi in ſtomacho & inteſtinis cumulatur.

Acidulæ præſcribuntur pro potu ad obſtructiones reſerandas, ad renes eluendos in calculoſis, & ad fæces, cujuſcumque generis ſint, diluendas, & per ſeceſſum, & per renes evacuandas. Valent ergò ad menſes promovendos, ad hæmorrhoïdes inveteratas compeſcendas, ad ſiſtendam inveteratam dyſenteriam, ad reliqua gonorrhϾ virulentæ curanda, ad fluorem album, ad ſcabiem, ad ſtrumas, ad cancrum, ad lepram, ad epilepſiam, ad maniam, ad pertinacem ophtalmiam, ad arthritidem, ad rheumatiſmum, & ad omnia ulcera interna, & externa, & fluxiones; exceptis pulmonum affectionibus, hæmopthiſi, pthiſi, & tuberculis.

Mineralia, quibus ſcatent acidulæ, eadem ſunt ferè ac ea quæ

in aliis continentur; namqúe ineſt his ſal fixum alkalinum, quod frigidam plerùmque init fermentationem cum acidis; adeòque maximè accedit ad naturam ſalis alkalini nitroſi, ſive nitri Antiquorum purificati: terræ quoque, & pars ſpirituoſa continentur in acidulis, ut in thermis. Sed hæc mineralia modò majori, modò minori quantitate in aquis mineralibus diſſolvuntur; quò fit ut aliæ ſint efficaciores, aliæ debiliores, prout magis vel minùs ſalibus ſaturatæ ſunt. Sunt & aliæ aquæ minerales, quæ tamen acidulæ non ſunt, tametſi nonnullâ ſalis copiâ imbutæ ſint, quæ potiùs appellari debent aquæ puriſſimæ fontanæ, maximè tenues, quales ſunt aquæ *de Maine*.

Aquæ minerales acidulæ quibus in hâc regione utimur, ſunt *Vallenſes*, *Camarenſes*, & *Vicenſes* quæ efficaciſſimæ ſunt: minùs efficaces ſunt *d'Hieuzet*, *de Pomaret* [*de Daniel* apud

Aleſienſes] *de Lodeve*, quæ miræ ſunt efficaciæ ad ardorem viſcerum, ſanguinis fervorem, humorum ſalſedinem, & alios affectus ad languorem vergentes; & aliis corporibus, in quibus ſanguis & viſcera intemperata ſunt, ſed non ſaburrata; ob id cancro dicatæ ſunt, lepræ, ſtrumis, & herpetibus, maraſmo, & febri lentæ à pulmonum labe non provenienti. [Utimur & quoque aquis *de Maine*, quæ non ſunt minerales, ſed fontanæ, maximè tenues; quas pro potu ordinario ad diluendum ſanguinem ægrotantibus propinamus, ſicut etiam aquis *de la Peirrere* propè vicum *Pignan* quæ à nonnullis, ſed perperàm, pro mineralibus habentur.]

Apud D. *Duclos* acidulæ, quæ notæ ſunt maximè in Galliâ, recenſentur cum mineralibus, quibus ſunt imbutæ, reſpectu habito ad aquam, ideò eas hîc non inſeram.

Aquæ Vallenſes ſic præſcribuntur.

Bibat aquas Vallenſes per x. vel xij. dies, manè ex fonte *la Marquiſe*, ejuſque hauriat cyathos xij. aut xv. partitis vicibus intra horam, aut ſemi, hiſque per ſeceſſum, & urinas rejectis, ſumat juſculum, ut moris eſt, ante & poſt uſum aquarum purgabitur cathartico convenienti.

Poterunt uſurpari per duas aut tres hebdomadas in affectibus contumacibus, ut in obſtructionibus viſcerum inveteratis, in febre quartanâ, in chloroſi, in ictero; tunc exhibebitur purgatio poſt unamquamque hebdomadem, & interjectâ quartâ aut quintâ dierum quiete.

In vico *de Vals* quatuor ſunt fontes, tres ſunt qui idem minerale continent, ſal ſcilicèt alkalinum fixum; fermenteſcunt maximè cum ſpiritu vitrioli, ut omnia alkalia,

& colore viridi maximè ſaturato inficiunt tincturam malvæ & violarum.

Hi tres fontes Vallenſes ſunt *la St. Jean*, *la Marquiſe*, *la Marie*.

La St. Jean, plus continet ſalis, & ſtomachó eſt gratior quàm *la Marquiſe*.

La Marquiſe, plus ejuſdem ſalis continet quàm *la Marie*, cujus aqua potiùs per urinas quàm per ſeceſſum tranſit.

In earum aquarum potu, hoc obſerva: Ii, quibus ſtomachus debilis eſt, ſumant ſingulis diebus manè iv. aut v. cyathos è fonte *la St. Jean*, & ſequentes alios *de la Marquiſe*. Calculoſi bibant tres ultimos dies *de la Marie* ad renes expurgandos.

La Dominique, eſt quartus fons Vallenſis, qui vomitum excitat ob vitriolum quod continet, & raró uſurpatur, niſi à quartanis inveteratis, & ictero contumace affectis. Ex ejus aquâ cum infuſione nucum gal-

larum fit atramentum, quod vitriolum indicat.

* Dum aquæ thermales non excernuntur, & abdomen tumens obſervatur, palpebræ œdematoſæ videntur, gravatum caput perſentitur, & de laſſitudinibus, dolore capitis, pectoris oppreſſione conqueritur æger, incunctanter per alvum deturbandæ ſunt hæ ſuperfluæ aquæ ſanguinem aggravantes, & hæc ſymptomata concitantes.

Ad promovendam itaque thermalium excretionem, ultimo cyatho epotando adduntur ſyrupi florum perſicorum ℥ij. & mannæ calabrinæ ℥i, aut ſalis polychreſti *D. Saignette* ℥i. Verùm ſi hæc cathartica ſufficientem excretionem non promoveant, præſcribuntur enemata cathartica cum decocto emollienti vulgari, in quo leviter concocta fuerit ſennæ mundatæ ℥ß. & diſſolutæ fuerint ℥i. catholici pro ore, & ſalis marini ʒij; tandem ſi hæc enemata

mata nullum præſtent effectum, alia potio cathartica eſt præſcribenda, quæ eſt paranda infundendo ſennam in cyatho ejuſdem aquæ thermalis, in quo dein diſſolvendæ ſunt mannæ calabrinæ ℥ij. & ei addenda jalappæ gr. xv.

Quandòque advenit thermales excerni non poſſe ob vividos dolores colicos, qui exoriuntur tantùm poſt aquarum thermalium ſorbitionem, tunc earum excretio promoveri poteſt iiſdem remediis eis addendo narcotica.

D. Sydobre vidit thermis Bellilucanis nobilem virum qui ob ventriculi teneritatem omne catharticum ſemel deglutitum brevi poſt vomitu rejiciebat. Ille nobilis vir ſummum in abdomine ardorem cum doloribus colicis patiebatur, algorem in extremis perſentiebat, & aquas Bellilucanas epotatas excernere non poterat. *D. Sydobre* ei præſcripſit potionem catharticam cum

mannâ calabrinâ, & granis aliquot jalappæ paratam, in quâ diſſoluta fuere grana ij laudani opiatici; illa potio cathartica ſummum præſtitit effectum, copioſam per alvum excretionem promovit, & à doloribus colicis hunc nobilem ægrum liberavit.

Iiſdem cautionibus opus eſt in uſu acidularum ac in thermalium uſu; notandum tantùm quòd aquæ acidulæ non ſunt propinandæ delicatulis, & his qui debili donantur ventriculo, niſi priùs balneo mariæ leviter tepefactæ fuerint. *

[Edocet obſervatio aquas acidulas, dum leviter tepefactæ fuere, citiùs faciliùſque in ſanguinem tranſire, ab eis citiùs ſanguinem dilui, & dein eas faciliùs per vias urinarias deturbari; optima itaque eſt methodus non ſolùm delicatulis, verùm etiam omnibus aquas acidulas leviter tepefactas propinare.

Dum præſcribuntur aquæ minera-

les, ſive thermales, ſive acidulæ ſint, ſemper addendum eſt aliquod catharticum temperamento ægri, & morbo curando accommodatum primo cyatho primi diei, ut per ſeceſſum eliminatis pravis primarum viarum ſuccis, ſuum faciliùs præſtent effectum aquæ minerales, & ultimo cyatho ultimi diei, ut aquæ ſuperfluæ per ſeceſſum deturbentur.

Aquæ noſtræ Bellilucanæ non ſolùm proſunt in caſibus ſuperiùs memoratis, ſed etiam feliciter adhibentur ſub formâ potûs, irrigationis, & balnei ad auferendam, ac foras amandandam cauſam paralyſis, quæ perſæpè in primis viis latet, & ad exſuſcitandum ſenſum, & motum partium paralyſi correptarum. Sub formâ potûs fauſtè quoque præſcribuntur ad curandos contumaces acceſſus febriles. Sub formâ irrigationis ad diſcutiendos dolores rheumaticos à causâ frigidâ pendentes, ad ſedandos capitis dolores:

fauſtè etiam in aquas Bellilucanas pluries immerguntur membra, quæ diſtortionem paſſa ſunt, ad ea firmanda. Aquæ Bellilucanæ miros quoque præſtant effectus in vulneribus, ad ultimam vulnerum deterſionem, ſarcoſim optimam, & perfectam cicatricem inducendam.

Præter aquas Bellilucanas aliæ ſunt thermæ in Occitaniâ, nempè balneâ *de Rennes* propè *Alectam*, & balnea *de la Malou* propè vicum *Bedarieux*.

Duo ſunt balnea *à Rennes* quæ calore, & effectibus inter ſe valdè diſcrepant. Primum Balneum, quod eſt unctuoſum, mira præſtat in affectibus cutaneis, e. c. in herpetibus, ſcabie, &c. modò ut remediis morbo curando accommodatis anteà uſi fuerint ægri. Ut illud balneum, organa cutis ſecretoria reſerando, & tranſpirationem æquabiliorem, & faciliorem reddendo, herpetes, ſcabies, & varias puſtulas cutem obſidentes reſolvit ac diſcutit, ab in-

colis hujuſce regionis vocatur *Balneum Leproſorum*, *Bain des Ladres*. Inſuper hoc balneum quamquàm unctuoſum ſit, raró prodeſt in exſiccatione tendinum, ac nervorum, Balnea *de la Malou*, & *de Barrege* apud Bigerros ei ſunt præponenda.

Secundum balneum *de Rennes*, cujus aquæ aquis Bellilucanis calidiores ſunt, adhibetur adversùs paralyſes; uſu illius balnei paralyſes, quæ aquis Bellilucanis reſtiterant, ſæpiſſimè diſcuſſæ fuere. Aquæ illius balnei numquam pro potu uſurpantur, ſed pro irrigatione & balneo adversùs paralyſes, & membrorum ſtupores.

Balnea *de la Malou* tepida & unctuoſa ſunt; proſunt in exſiccatione nervorum, tendinum (quamquàm eis ſemper anteferenda ſint balnea de Barrege) adhibentur ad præcavendum rheumatiſmi, aut dolorum rheumaticorum recurſum; ſedant hæmorrhoïdes, & flexibiliores red-

dunt articulos, affectibuſque cutaneis non raro ſuccurrunt. Aquæ *de la Malou* pro potu non adhuc uſurpantur, quæ fortè affectibus thoracis prodeſſent, aut ut aquæ *de Cauteres* propè Pyrenæos montes; quæ apprimè conveniunt ad reſolvenda pulmonum tubercula, & ad ea detergenda, dum in ſuppuratum abiere: aut ut aquæ *du Mont d'Or* in Arverniâ, & aquæ *de Bagnols* apud Gabalos, quæ parvâ doſi mira præſtant in aſthmate à pulmonum tuberculis, modò ut tubercula in ſuppuratum non abierint.

CAPUT XI.

DE HYDROMELITE, ET LOOCH.

* RArò in uſum vocatur Hydromel, ſeu aqua mulſa: adhibetur tantùm in apertâ pulmonum vomicâ. Pro potu ordinario præſcribitur his, qui empiemate

corripiuntur, hydromel aquoſum ſeu dilutius, quod paratur cum quinque aquæ fontanæ partibus, & unâ mellis. Hydromel miſceri aut parari poteſt cum ptiſanâ deterſivâ. Subſequenti modo præſcribi ſolet. *

℞. Aquæ fontanæ ℔ v. mellis optimi ℔ i. coque, ut artis eſt, ſpumam detrahendo, & fiat hydromel.

Aquoſius ſeu dilutius hydromel ſic paratur.

℞. Aquæ fontanæ ℔ viij. mellis optimi ℔ ß, coque ut artis eſt, ſpumam detrahendo, & cùm non ampliùs ſpumaverit, cola & pone in phialâ vitreâ, utatur pro potu ordinario.

* *Looch ſive eclegma eſt medicamentum formâ liquidum, ſyrupum conſiſtentiâ adæquans, vel ſuperans, faucium & pulmonum affectibus deſignatum.*

Componitur vel ex pulveribus, & ſyrupo convenienti; vel ex pulpis, pulveribus, & ſyrupis; vel ex decocto pectorali. Utimur looch ad

ſputum juvandum, ad ſputum ſanguinis compeſcendum, ad tuſſim ſedandam, ad fauces leniendas, & ad omnes thoracis affectus demulcendos. Pro eclegmate utitur tantùm *D. Barbeirac* ſyrupo de tuſſilagine, aut florum pediſcati, aut capillorum veneris, aut violarum, aut ſyrupo de jujubis.

LOOCH

Pro ſenibus ad expectorationem in aſthmathe, & pro his qui exſpuere non poſſunt.

℞. Syrupi violacei ℥iß. oxymellitis ſimplicis ℥i. florum ſulphuris ʒi. vel benzoini ʒß miſce, fiat looch, quo utatur cochleatim lambendo.

LOOCH DETERGENS

In pthiſi, empiemate, aliiſque caſibus ſimilibus.

℞. Syrupi de hederâ terreſtri, & pediſcati ana ℥iß. miſce, fiat looch.

Si hocce looch magis deterſivum

exoptetur, ei addendæ ſunt balſami judaïci gtt. x. vel xx. aut balſami terebinthinæ ℨß.

* Parantur eclegmata cum unâ parte ſyrupi papaveris albi, & duabus alterius ſyrupi edulcorantis, quæ ſummâ bechicâ vi gaudent.

[Valdè proſunt hæc eclegmata ad ſedandam tuſſim, & ad expectorationem juvandam, dum ab acredine & tenuitate lymphæ bronchialis exoritur tuſſis.

LOOCH

In tuſſis acceſſibus ab acredine, & tenuitate lymphæ Bronchialis.

℞. Syrupi de tuſſilagine ℥ij. Syrupi papaveris albi ℥i. miſce, fiat looch ad uſum.

Vel

℞. Olei amygdalarum dulcium recenter ſine igne extracti ℥ij. Syrupi de althæâ ℥iß. Syrupi papaveris albi ℥i. miſce, fiat Looch.

LOOCH AD PERIPNEUMONIAM.

℞. Olei amygdalarum dulcium ſine igne

recenter extracti ℥ij. ſpermatis ceti ʒi. Syrupi violacei ℥i. ſacchari candi pulverati ℈ij aquæ liliorum cochlearia iij aut iv. miſce, fiat looch.

LOOCH

Sputa viſcida incidens.

℞. Syrupi de eriſimo, & de hederâ terreſtri ana ℥i antihectici Poterii ℈ij. florum Benzoini ℈i aquæ borraginis cochlearia iij. aquæ naphæ cochlear 1. miſce, fiat looch.

Nullum eſt looch præſtantius ad tuſſim ſedandam eclegmate albo, quod deſcribitur in Codice Medicamentario Facultatis Pariſienſis. Sic juxta illum Codicem parari debet.

℞. Pulveris liquiritiæ exquiſitæ ʒß. ſuperaffunde aquæ communis ferventis ℥iv. ſtet in infuſione balneo mariæ ſpatium horæ quadrantis, & cum amygdalis dulcibus excorticatis n°. xij, fiat ex arte emulſio. Tum

℞ Gummi tragacanthi tenuiſſimè pulverati gr. xviij. ſenſim affunde lac amygdalinum ſuprà dictum, identidem

agitando in mortario marmoreo ad mucilaginis ſpiſſitudinem, admiſce ſyrupi diacodii, & altheæ Fernelii ana ℥ß. olei amygdalarum dulcium ℥i. ſub finem adde aquæ naphæ circiter ʒij. fiat eclegma.

Nota : loco ſyrupi diacodii ſubſtituitur aliquandò par doſis ſyrupi altheæ Fernelii.]

LOOCH

Ad ſanguis ſputum.

♃. Syrupi de roſis ſiccis, & cydoniorum ana ℥iß. terræ ſigillatæ, & boli Armeniæ ana ʒi. miſce, fiat looch.

[*Aliud ad ſanguinis ſputum.*

♃. Mucilaginis ſeminum cydoniorum in aquâ roſarum extractæ ℥ij. ſyrupi de roſis ſiccis ℥i. Sacchari rubri ʒiij. aquæ plantaginis cochlearia aliquot, miſce, fiat looch.

* Parari etiam poſſunt eclegmata addendo ſyrupi papaveris albi loco alterius ſyrupi edulcorantis, hoc modo. *

℞. Syrupi jujubarum ℥i. Syrupi papaveris albi ℥ß. mucilaginis ſeminum cydoniorum, & pſyllii in aquâ roſarum extractæ ʒvi. ſacchari hordeati ʒiij. cum paucâ aquæ papaveris rheados quantitate, fiat looch.

* Succus urticæ ad ℥ij. in juſculo communi dilutus expectorationem promovet, & ſputum ſanguinis ſiſtit; idcircò in hæmopthiſi quartâ quâlibet horâ ægrotantibus feliciter propinatur. Ad expectorationem promovendam hodiè in uſum non ampliùs vocatur olibanum, nec pomum *Quercetani*, ſed ad ſatisfaciendum huic indicationi adhibemus ſub eclegmatis formâ ſyrupum de pomis ſine igne extractum, radicem liquiritiæ, aut ejus ſuccum ritè ſpiſſatum.

[Adhibemus & quoque ſub eclegmatis formâ tabellas altheæ, ejuſque paſtam, & varias ſacchari præparationes, ut ſaccharum hordeatum, roſatum, candum, &c. quæ diù

in ore retineri, & huc & illuc volvi debent, ut illorum partes oris calore, & ſalivali rore exhalatæ, & dilutæ in trachæam & pulmones penetrent, ad tuſſim ſedandam, & expectorationem juvandam.]

Eclegmatibus, quæ pro pueris parantur, addenda ſemper ſunt cochlearia aliquot alicujus aquæ ſtillatitiæ, ut neceſſaria liquiditas ad ea ſenſim deglutienda eis impertiatur. *

[Cochlearia aliquot alicujus aquæ ſtillatitiæ addenda quoque ſunt eclegmatibus, quæ pro adultis parantur, dum pulveres in eorum ingrediuntur compoſitionem, ut liquida ſufficienter ſint, ad ea uſurpanda. Inſuper eclegmatibus utuntur immergendo fruſtulum liquiritiæ, quod diù lambit æger; vel æger aſſumit cochlear unum eclegmatis, quod diù in ore detinet, ſenſim deglutiendo.]

LOOCH

Ad anginam, tuſſim, &c.

℞. Syrupi tuſſilaginis, & violarum ana ℥iß. ſacchari penidiati ℥iij. cum paucâ aquæ liliorum quantitate, fiat looch, ſumendum cochleatim ſæpè in die.

LOOCH

Ex pomis ſine igne paratum.

℞. Poma n.°. vi. vel vij. vel viij. ſyrupi papaveris albi ℥ij. ſacchari albiſſimi pulverati ℥iij. aquam liliorum q. v; in taleolas diſſecta poma injice in aquam liliorum, dein in cribrum ex jubâ confectum, & in patinam fictilem repoſitum, ea ſ. ſ. ſ. diſpone, ea primò aſpergendo ſaccharo, & dein irrorando ſyrupo papaveris albi. His omnibus ita diſpoſitis, linteo cooperiatur cribrum, & collocetur cum patinâ in loco humido, ut fiat looch pomorum abſque igne per deliquium, quo uti poſſumus ad ſedandos violentos tuſſis acceſſus, à tenuitate & acredine lymphæ bronchialis pendentes.

LOOCH EX DECOCTO.

℞. Radicis altheæ & bugloſſi ana ʒij foliorum capillorum veneris m. i. ſeminum papaveris albi ℥ß. florum papaveris rheados p. i. coque in ſ. q. aquæ fontanæ ad ℥ viij. adde ſacchari penidiati, aut ſacchari hordeati ℥ß. vel ℥i. potiùs; fiat looch, cochleatim uſurpandum ſenſim lambendo.

LOOCH EX DECOCTO

In Raucedine, & faucium excoriatione.

℞. Decocti altheæ, & florum malvæ ℥vi, in quibus infunde, ac diſſolve gummi tragacanthi ℈i, ſyrupi capillorum veneris ℥ij. miſce, fiat looch, quo utatur cochleatim ſenſim lambendo.

CAPUT XII.

DE USU KINÆKINÆ,

[*ET CASCARILLÆ.*]

* EX Peruviano Regno nobis affertur kinakina, quæ cortex eſt ramorum, & trunci arboris, quæ teſtantibus mercatoribus in montibus provinciæ Quito enaſcitur.

Hæc arbor ceraſo ſimilis eſt, [*ejuſque deſcriptio legitur in ſolemnibus Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis comitiis anni* 1738. *Cortex kinakina dictus, ſiccus admodùm eſt duas aut tres lineas craſſus, foras ſcaber, fuſcus, aliquandò muſco caneſcente obductus, intùs levis, nonnihil reſinoſus, colore ferrugineo, vel rufo, ſapore intensè amaro, leviter aſtringente cum quâdam aromaticitate non injucundâ.*

Eligatur rufeſcens, vel rubens, ſeu colorem cinnamomi viſui referens, ſa-

pore intensè amaro, dentibus attritus, friabilis, non viſcidus & glutinoſus, non ligneus, non effætus & annoſus, non inſipidus, nec adulteratus quocumque alio cortice ſucco aloës intincto. [*Vid. Mater. Med. D. Geoffroy tom. 2. pag.* 179.]

Olim non innotuerat hic cortex, à quinquagintâ circiter annis in praxi medicâ adhibetur tantùm. Patres Societatis Jeſu primi fuêre, qui kinamkinam divendidere, ex eo quòd Cardinalis *de Lugo* hujuſce Societatis in Italiâ accepit, & in Galliam dein attulit; ut autem ex regno Peruviano advehitur hic cortex, *cortex Peruvianus* vocatur. (*a*)

(*a*) Kinakina in Europam primò advecta fuit à Prorege diſcedente ex Indiâ, cujus uxor, auxilio kinækinæ à febre tertianâ ſæviſſimâ quâ in Indiâ funeſtè corripiebatur, liberata fuerat; dein à Patre Provinciali Societatis Jeſu ex Americanis regionibus in Italiam reduce, quem diſtribuit pluribus ejus Ordinis Patribus ex diverſis mundi regionibus pro generali totius Ordinis Conventu, Ro-

Ad profligandas febres intermittentes auxilium præſtantiſſimum præbet kinakina, undè Hiſpani eam denominaverunt *palo de calenturas*, gallicè *bois de fievre.*

Optima methodus corticem peruvianum adhibendi eſt, ægrotantibus eum exhibere in ſubſtantiâ, & in alkool ſeu pulverem tenuiſſimum redactum, & dein vel in ſemi aquæ fontanæ cyatho dilutum, vel ſub formâ boli cum ſyrupo quocumque, qui pro delicatulis pane azymo eſt obvolvendus. [Hocce enim modo experientiâ quotidianâ compertum eſt kinamkinam efficaciùs vires ſuas exercere, & faciliùs finem optatum attingere.]

mæ congregatis. Unuſquiſque Patrum in Patriam regreſſus magnas kinækinæ virtutes promulgavit, & divendidit; undè *pulvis Patrum* dictus fuit, aut *pulvis Jeſuiticus* quod nomen apud Anglos adhuc hodiè retinet, necnon etiam *pulvis Cardinalis de Lugo* audiebatur, quòd curâ & ſumptibus pii hujuſce Cardinalis magna kinækinæ pulveris copia Romæ Religioſis, & pauperibus gratis diſtribueretur.

Kinakina maximè commendabilis eſt ad febres intermittentes profligandas, acceſſus febriles ſiſtit & curat, exacerbationes febrium continuarum, modò ut violentiſſimæ non ſint, compeſcit. Antequàm adhibeatur cortex peruvianus, multùm prodeſt venam, tum in brachio, tum in pede pertundere, & alvum movere convenienti catharticâ potione, paratâ e. c. ex ſennâ, rheo, ſummitatibus abſinthii minoris, ſyrupo cichorei ad ℥i, & granis x. aut xij. jalappæ; [vel alterâ non huic abſimili, ſed ſemper morbo curando, ætati, & temperamento ægri accommodatâ,] ut foràs amandentur pravi primarum ſucci, qui in ſanguinem tranſeundo, & ei permixti acceſſus febriles concitant; & ut etiam liberetur ſanguis è ſuccis crudis qui in eo fermenteſcunt. His prægreſſis, finem optatum citiùs attinget kinakina, nam faciliùs dein actionem ſuccorum crudorum

ac acidorum in ſanguine & ventriculo hoſpitantium infringet, eoſque faciliùs abſorbebit. Perſæpè contingit kinamkinam acceſſus febriles non ſiſtere, ſedècontrà eos exacerbare, & intentiſſimas fermentationes concitare. Id præſertim evenit cùm potio cathartica uſum kinækinæ non præceſſit; quia cortex peruvianus, qui tunc omnes hos pravos ſuccos in ventriculo & in ſanguiferis hoſpitantes abſorbere nequit, fermenteſcit cum acidis (quibus pravi ſucci ſcatent) vividiores acceſſus febriles procreat, exacerbationeſque intenſiſſimas concitat. Dum è contrà poſt per amplam per alvum evacuationem, facilè finem optatum attingit kinakina, abſorbendo parvam pravorum ſuccorum copiam in ventriculo ſuperſtitem, quæ in diem aliter major fieret, & digeſtionem ingeſtorum perverteret.

In febribus intermittentibus poſt venæ ſectionem, & catharſim per ſexdecim dies utendum erit kinakinâ

in tenuiſſimum pollinem redactâ bis in die. (*m*) Prima doſis exhibebitur ad ℥ij, aliæ verò ſubſequentes tantùm ad ℥i. Exhibendus ſemper eſt cortex peruvianus extra acceſſum, & longè ante acceſsûs principium. Verùm ſi nimis longi ſint acceſſus, & ſi vix finito uno acceſſu alter recurrat, quod in ſubintrantibus, & non raró in quotidianâ febre contingit, tempore remiſſionis acceſsûs exhibenda erit kinakina, & numquam tempore rigoris, nec febris pyrexiæ. Iiſdem ſanè cautelis exhibendus eſt cortex peruvianus

(*m*) In febribus intermittentibus determinari nequit tempus per quod utendum eſt kinakinâ, nam febres intermittentes non determinatis temporibus cortice peruviano fugantur Notandum tantùm eſt, in curatione febrium intermittentium kinakinâ, quòd ſemel fugatis cortice peruviano acceſſibus, per intervallum plurium dierum uſus kinækinæ ſit continuandus, ne revocentur acceſſiones; quod ſæpiſſimè evenit à levi errore in diætâ, à minimo frigore percepto, vel aliâ quâcumque levi de causâ. Prætereà kinakina non ſolùm bis in die eſt exhibenda, ſed quartâ, imò & tertiâ quâque horâ, dum vehementia acceſſuum expoſtulat, eorumque intermiſſio ſinit.

ad profligandas febrium continuarum exacerbationes.

Poſtquàm in febre tertianâ per octo dies manè & ſerò, aut alteris de die horis kinakinâ fuerit uſus æger, purgabitur; quibus elapſis iterùm purgabitur, & poſtero die iterùm per octo alios dies kinamkinam uſurpabit, & poſtero hujuſce purgationis die ℥ij. kinækinæ adhuc deglutiet: quia perſæpè advenit cathartica ſanguinem & alios exagitando humores, materiam febrilem cortice peruviano tantùm ſopitam extricare, [& ab eis revocari acceſſus febriles: quapropter fugatis ſemel cortice peruviano acceſſionibus febrilibus, inconſultò cathartica non ſunt præſcribenda, ne recrudeſcant acceſſus; ſed ſi adſit urgens indicatio cathartica exhibendi, ne revocentur acceſſus, apprimè convenit eâdem purgationis die, ſerotinis nempè horis, exhibere ægro ℥i kinækinæ, aut infundere ac

diſſolvere purgantia medicamenta in forti decocto kinækinæ, vel tandem alio modo conjungere corticem peruvianum cum purgante medicamento idoneo]. Ultimis octo diebus per quos kinamkinam uſurpabit æger, doſis hujuſce corticis ad ℨi reduci poteſt, ſi longæ non ſint acceſſiones febriles, & febris parùm vehemens,

Verùm in febre quartanâ, quæ aliis febrium ſpeciebus curatu difficilior eſt, & perſæpè contumacior, utendum eſt kinakinâ per menſem integrum. Primis decem diebus bis in die exhibebitur kinakina, ut in tertianâ, quibus elapſis purgabitur æger: decem aliis ſubſequentibus diebus, bis quoque in die uſurpabit æger kinamkinam, & poſt eos iterùm purgabitur: & ultimis decem diebus ſemel tantùm in die kinamkinam ad ℨi aſſumet, quibus elapſis iterùm purgabitur, & poſterò hujus purgationis die ℨij corticis

peruviani ei exhibebuntur, ut febris quartanæ regreſſus præcaveatur.

Per uſum kinækinæ victûs regimen accuratè obſervandum eſt; ſemel tantùm in die levis offa, & juſcula ſextâ quâque horâ ægris ſunt concedenda, (*o*) quòuſque extincti fuerint acceſſus febriles; tunc carnis uſus eis concedetur, ſed ſenſim, quouſque tonus ventriculi redimatur, ut dein pleniori victu uti poſſit.

Tempore acceſsûs ſola aqua febricitanti eſt propinanda, nam aliter exacerbaret acceſſus: verùm ſi febres

---

(*o*) Idem ſanè victûs regimen non eſt obſervandum in omnibus febribus intermittentibus; ſed variandum eſt pro duratione, ac vehementiâ acceſſuum. In omni febre intermittente incipiente apprimè convenit ſolis juſculis quartâ quâque horâ propinatis ægrotantes enutrire, quod eſt ſemper obſervandum in quotidianâ, & duplici tertianâ; ſed in tertianâ, & præſertim quartanâ, dum diù perſeverant, & conſequenter contumaces fiunt, diebus intermiſſionis, offis, pauco pane, & juſculis nutriendi ſunt ægri, ſed die acceſsûs ſola juſcula quartâ quâque horâ eis ſunt offerenda.

bres intermittentes à longo tempore perſeverent, & earum paroxyſmi longiſſimi ſint, ſub finem acceſsûs juſculum ægrotanti exhibebitur.

Semel fugatis cortice peruviano acceſſibus, per unum aut alterum menſem, ſemel aut bis in hebdomadâ uſurpare poterit æger kinamkinam ad ʒi, ut regreſſus febrium intermittentium omninò præcaveatur; ſed tunc quolibet decimo-quinto die convenienti cathartico purgabitur. Dum febres intermittentes epidemicè in regione, ubi vitam degimus, graſſantur, optima eſt methodus uti ſingulis diebus kinakinâ ad ʒi; nam in illo caſu nullum adeſt præſtantius *prophylacticum* remedium kinakinâ; ſed tunc ante uſum kinækinæ movenda erit alvus purgante medicamento idoneo, ſi ad catharſim aliqua adſit indicatio: & è contrà neceſſum non erit adhibere ante uſum kinækinæ cathartica, ſi nihil obſervetur quod catharſim ſuadeat.

Uſus infuſionis kinækinæ in vino generoſo, nec adeò utilis, nec præſtans eſt, ut uſus kinækinæ in ſubſtantiâ; nam kinakina in ſubſtantiâ citiùs ac tutiùs ſiſtit febrem, quàm infuſum kinækinæ in vino; quod ſanguinem multùm accendit, ſummum æſtum viſceribus accerſit, ægrotantique affert graviora ſymptomata febre quâ corripitur.

[Infuſum kinækinæ in vino generoſo gravia concitat mala, dum inconſultò, & imperitâ manu exhibetur ad ſiſtendas, & fugandas acceſſiones febriles, in quo caſu ſummè eſt vitandum; ſed nihil grave accerſit,& è contrà multùm prodeſt, dum exhibetur tantùm, prophylaxeos gratiâ, pituitoſis, ſenibus, & his, qui debili (à causâ frigidâ) gaudent ventriculo. Infuſum itaque kinækinæ in vino feliciter in hoc caſu propinatur in cyatho ad altitudinem duorum aut trium digitorum, manè jejuno ventriculo, aut

unâ ante prandium horâ, & continuari poterit per menſem, imò & ultrà ſi nullum ejus uſu percipiat æſtum æger. Hoc autem infuſum paratur cum vini rubri generoſi ℔i. & corticis peruviani ℥i. in lagenâ vitreâ benè obturatâ.

Quamquàm decoctum kinækinæ in aquâ communi non tam citò, nec tutò ſiſtat febres intermittentes, ut kinakina in ſubſtantiâ; attamen perſæpè in uſum vocatur ad ſiſtendos, ac fugandos leves acceſſus febriles, quibus corripiuntur delicatuli, & hi qui debili pectore donantur. Verùm dum, invito decocti kinækinæ uſu, ingraveſcunt acceſſus febriles, eis tunc exhibendus cortex peruvianus in ſubſtantiâ, ſed dilutus in decocto aliquo leniente, aut in emulſione coctâ, ne ab eo eorum accendatur ſanguis, & graviora acceſſibus febrilibus concitentur ſymptomata. Hoc decoctum, quod ad duos aut tres cyathos in

die exhiberi debet, ſubſequenti modo parari ſolet.

℞. Kinækinæ craſſiuſculè tritæ ℥ ſemis aut ʒvi. aquæ fontanæ ℔j. ſ ſ. bulliant ſimul uſque ad tertiæ partis conſumptionem, dein cola cum forti kinækinæ expreſſione, colatura ad uſum ſervetur.

Decoctum kinækinæ in aquâ communi frequentiùs exhibetur in fine febrium continuarum, ad fugandam penitùs febrim, quæ, invitis catharticis alternis diebus adhibitis, ſæpè perſiſtit. Verùm hoc decoctum feliciùs ſuccedit, dum febres continuæ cum exacerbationibus, cum refrigeratione aut horrore, aut rigore ingruentibus ſua percurrere tempora. Inſuper hoc decoctum utilius quoque eſt, cùm kinakina decoquitur ſimul cum foliis cichorei amari hortenſis.

℞. Kinækinæ craſſiuſculè tritæ ʒij. foliorum cichorei hortenſis amari m. j. aquæ fontanæ ℥xij. bulliat primò ki-

nakina uſque ad tertiæ partis conſumptionem, dein in ollam injice folia cichorei conciſa, & ebulliant cum kinakinâ per horæ quadrantem : poſteà cola cum forti ingredientium expreſſione, & colatura in duas æquales doſes dividenda ægrotanti horis medicis in die propinabitur.

Ex decocto kinækinæ ad profligandas febres intermittentes parantur enemata (ut, dum de enematibus, videbitur) quæ infantibus, imò etiam adultis præſcribuntur, dum à corticis peruviani hauſtu prorsùs abhorrent.

Ex decocto kinækinæ ad certam conſiſtentiam vaporato, & ſaccharo, paratur ſyrupus de kinakinâ, qui in officinis proſtat (ut diximus, dum de ſyrupis) & qui in uſum vocatur ab ℥ß. ad ℥ij. ad profligandas febres intermittentes, quibus lactentes ac infantes corripiuntur.]

Initio quandòque febrium intermittentium, & febrium continua-

rum cum exacerbationibus exhibetur kinakina, quin præceſſerit catharſis, dum acceſſus febriles adeò vehementes, & exacerbationes ita vehementes, & ſimul *ſubintrantes* ſunt, ut ab eis de medio tolli poſſint ægri. Tunc pluries vena ſecanda eſt [tempore *pyrexiæ*, ut imminuatur ſanguinis æſtus, ac rarefactio; præcaveantur vaſorum ruptiones, variarumque partium inflammationes;] & kinakina bis in die eſt exhibenda; & cùm cortice peruviano ſopitæ, aut valdè immunitæ fuerint acceſſiones febriles, & exacerbationes, cathartica, quantùm morbus ſuadebit, adhibebuntur, quin ullum ſuperveniat ſymptoma grave.

Interdùm ſociatur rheum pulveratum cum kinakinâ, aut diluitur kinakina in infuſione rhei, & ſummitatum abſinthii in febribus quartanis & contumacibus, dum kinækinæ in aquâ communi dilutæ reſ-

titere, ob viſcerum obſtructiones, quæ eas febres perſæpè concomitantur. Sæpè etiam coacti ſumus ad eas penitùs eradicandas uti opiatâ cum ferro, & catharticis, quæ per decem & octo dies alternis diebus eſt exhibenda. Verùm cùm uſurpatur opiata cum ferro, mos eſt exhiberi ℨi. kinækinæ, die quâ non aſſumitur opiata.

[Ad penitùs fugandas febres contumaces, ſed præſertim febres quartanas, utuntur & quoque variis opiatis febrifugis, quæ, dum de opiatis, recenſebuntur; ſed etiam cum kinakinâ feliciter ſociantur ſal ammoniacum, iris florentina, agaricum, flores chamæmeli, & varia ſalia alkalina lixivioſa, ut ſal abſinthii, cardui benedicti, centaurii tamariſci, &c.]

Kinakina non ſolùm præſtans & multùm efficax præbet auxilium ad profligandas febres intermittentes; ſed etiam commendabile phar-

macum in pluribus aliis curandis morbis. Kinakina ventriculum roborat, fermentum ejus renovat, [appetitum languentem excitat, ciborum concoctionem juvat, vermeſque necat :] convenit itaque in vomitu acido, in coctionibus læſis, in nauſeis ac ructibus acidis, in diarrhæis [& in his inappetentiis quæ inertiæ tunicarum ventriculi, ac ſuccorum gaſtricorum lentori debentur.] Kinakina in ſubſtantiâ exhibita, & ſub opiatæ formâ ſociata cum corallis rubris, oculis cancrorum fluviatilium, & radice pæoniæ maris, inſultus epilepticos præcavet. Uti poſſumus cortice peruviano in ventriculi debilitatibus, quæ prægnantes adoriuntur, & in omnibus ſymptomatibus, quæ eas ſubſequuntur; adhiberi quoque poteſt ad mitigandas, & fugandas exacerbationes febris continuæ phthiſeos comitis.

Tandem convenit kinakina in

omnibus morbis, qui per paroxyſmos invadunt; nam ſi paroxyſmos non profligat, ſaltem eos multùm imminuit.

[Kinakina quartâ quâque horâ exhibita à ʒß ad ʒi ſub decocti, aut boli formâ, mira præſtat in gangrænâ à causâ, tum internâ, tum externâ ortâ; nam corticis peruviani uſu ſimul ac Chirurgiæ auxilio gangrænæ accommodato, gangrænæ progreſſus reprimuntur; vita in parte gangrænâ correptâ ferè extincta ſenſim revocatur, ſenſimque curatur gangræna. Hæc nova kinækinæ proprietas in omnibus ferè regionibus nunc comprobata fuit variis experimentis, non ſemel à Medicis, & Chirurgis conſultò factis: poſtquàm lectum fuit in Actis Edimburgi, corticem peruvianum in gangrænâ fauſtè adhibitum fuiſſe à Medicis, & Chirurgis peritis, qui hoc auxilio ægros penitùs deſperatos, aliis remediis fruſtrà tentatis, priſtinæ ſanitati reſtituere.

Proſtat in officinis *cortex in tubulos convolutus digiti vel pollicis latitudine, & duos, tres, quatuorve pollices longos, lineam unam, aut alteram, craſsos, colore foràs cinereo caneſcente, intùs ferrugineo, ſapore amaro, aromatico odore, dum comburitur, fragrantiſſimo, aromatico, ad ambari odorem aliquantiſper accedente*; qui eſt ſpecies kinækinæ; & vocatur *kinakina aromatica*, aut *caſcarilla*, gallicè *Caſcarille*.

Hic cortex, qui ex quibuſdam Americæ meridionalis regionibus ad nos affertur, depromitur ex arbore nobis adhuc ignotâ. Vid. *Mater. Med.* D. Geoffroy, *tom.* 2. *pag.* 203.

Caſcarilla iiſdem donatur virtutibus ac kinakina, nam ventriculum multùm roborat, appetitum languentem excitat, cruditates acidas extinguit, febreſque intermittentes fugat. Feliciter itaque ſociatur cum kinakinâ ad eradicandas contumaces acceſſiones febriles, & ad

tutiùs fugandas eas, quæ cum rigore ingruunt, aut quæ epidemicè graſſantur.

Caſcarilla in ſubſtantiâ cum floribus chamæmeli pulveratis, vel cum eis decocta præſtans præbet febrifugum.

Caſcarilla kinækinæ antefertur ad extinguendas cruditates acidas ventriculum ſæpè obruentes, & ad roborandum ventriculum, materiis ſeroſis, aut pituitoſis debilitatum.

In opiatis frequentiùs kinakina admiſcetur à gr. x. ad xx. pro quâlibet doſi ad eis impertiendam virtutem ſtomachicam.

Exhibetur caſcarilla in ſubſtantiâ & in pulverem tenuiſſimum redacta à ʒß ad ʒi. in decocto à ʒi ad ʒij.]

CAPUT XIII.

DE PRÆPARATIONE, ET USU CAFFÉ, CHOCOLATÆ, THÉ, ET SALVIÆ.

CAffé eſt fructus arboris, quæ ex nonnullorum relatis in Felici Arabrâ enaſcitur.

[Hæc arbor, quæ frequens naſcitur, & colitur in Arabiâ Felici & Æthiopiâ, & quæ nunc colitur etiam in Americâ, dicitur *Jaſminum Arabicum lauri folio*, cujus accurata deſcriptio à D. *de Juſſieu* primò tradita legitur in Actis Academiæ Scientiarum Pariſienſis, & invenitur quoque in Tractatu Materiæ Medicæ D. *Geoffroy*. Flores hujuſce arboris abeunt in fructum ſeu baccam mollem, ceraſi minoris magnitudine, quæ in ſinu ſuo recondit binos nucleos conjunctos, ovatos, & depreſſos eâ parte quâ ſibi invicem adhærent, qui nuclei dicuntur grana *Caſ-*

fé. Hi fructus maturi colliguntur, & dein exſiccantur. Exſiccatione caro harum baccarum tenuior, & fragilis fit, ita ut dein levi contritu à ſeminibus ſeparetur cum membranâ eam abvolvente. Hi fructus exſiccati, ſed è membranâ nondum expurgati perſæpè deprehenduntur intra grana *Caffé*.]

Eligendum eſt *Caffé* bonæ notæ, recens, ſubviride, [mediocris craſſitiei, à ſeminibus Caffé ab involucris nondum expurgatis, & à granis contritis, luteis, ſiccis ritè mundatum.]

Ut *Caffé* ſorbitio paretur, grana *Caffé* lentè torreri debent in ſartagine ſub prunis collocatâ, ea identidèm exagitando, quòuſque debito modo, ac æquabiliter toſta ſint.

[Verùm grana *Caffé* citiùs, tutiùs ac æquabiliùs torrentur in ſpecie tympani ferrei, ad hunc uſum inventi, quod ſuprà forniculam ferream portatu facilem in gyrum vertitur.]

Semel ritè toſta grana *Caffé* ſubtiliter pulverantur [ope moletrinæ truſatilis ad hunc uſum deſtinatæ ,] & dein pro quolibet aquæ poculo aſſumitur cochlear unum illius pulveris *Caffé*.

Ad ritè præparandam *Caffé* ſorbitionem, in cucumellam aquæ vacuam immittendus eſt pulvis *Caffé* , & hæc cucumella dein eſt collocanda ſub cineribus calidis , ut textus *Caffé* calore cinerum magis ac magis aperiatur , ejuſque dein tinctura aquâ ferventi infundenda faciliùs eliciatur. Tum in alterâ cucumellâ fervefaciunt ſufficientem aquæ quantitatem pro poculis *Caffé* tincturæ præparandis ; & dum fervet , aqua fervens eſt infundenda in cucumellam , ubi pulvis *Caffé* fuit immiſſus ; dein lento igne decoquitur per octavam horæ partem , cavendo ne ebulliendo foràs emittatur liquor. Poſteà ab igne remove cucumellam, & ſine pulverem *Caffé* fœculentum ſidere.

Aſſumuntur unum aut duo tincturæ caffé pocula, eis addendo ſacchari momentum. Peroptima eſt tinctura *Caffé*, dum eſt coloris fuſci, *Caffé* peruſtum non ſapit, & à fœculento pulvere in fundo cucumellæ præcipiti per inclinationem ritè eſt ſeparata.

Sorbitio *Caffé* non inutilis eſt ad roborandum ventriculum, acidaque (quibus depravatur ventriculi fermentum) extinguenda ob alkali, quo turget. Convenit e. c. in ventriculi imbecillitatibus, in vomitibus, & in omnibus læſis coctionibus, præſertim poſt paſtum. Noxia eſt temperamentis præfervidis, quòd ſanguinem & ſpiritus animales nimis excitet, ſomnumque pellat, undè pertinaces vigiliæ, quæ multas turbas excitare valerent, ſi *Caffé* uſus foret diuturnus. Multùm prodeſt potus *Caffé* ſenibus, melancholicis, & viris ſtudia colentibus, quòd perdifficile ſit ſpiritus anima-

les in longâ meditatione ad ventriculum ſufficienter appellere poſſe, ut ejus fermentum excitetur, debito modo concoquantur ingeſta, ita ut lædatur ciborum coctio, cruditates in ventriculo enaſcantur, quæ graviſſimos morbos accerſere valent.

[Viris ſtudia colentibus conducit *Caffé* ſorbitio in quantum ventriculum roborat, ejuſque liquores excitat, ciborum coctionem adjuvat, & accelerat, cerebrum & ſpiritus animales recreat, ingenium acuit, mentemque mœſtam exhilarat, & ad functiones obeundas, alacriorem & promptiorem efficit.]

Potus *Caffé* manè jejuno ventriculo, aut poſt paſtum plures antevertit morbos, ſuccorum crudorum in ventriculo ſtagnantium excretionem promovendo, ventriculum ac ejus fermentum roborando, appetitumque languentem excitando.

Feliciter quoque præſcribitur in nephritide, in aſthmate, in cordis

palpitatione, in paralyſi, & ad apoplexiam alioſque affectus ſoporoſos præcavendos; uno verbo multùm confert potus *Caffé* in hemicraniâ, ac vertigine, & præpedit ne lac in ventriculo aceſcat, ſi pars dimidia tincturæ *Caffé* lacti ſincero admiſceatur, vel ſi loco aquæ fontanæ paretur *Caffé* cum lacte.

[A ſorbitione *Caffé* omninò abſtinere debent ii qui hæmorrhoïdibus, hæmorrhagiis, ac eryſipelatibus obnoxii ſunt, ni hæc ſorbitio temperetur cum lacte, aut cum uno aut altero ovi vitello. *Caffé* ſic temperatum ſæpè proficuum fit tabidis, & emaciatis, ac his qui doloribus arthriticis diſcruciantur. Decoctum granorum *Caffé* crudorum non torrefactorum, ſed contuſorum in aquâ communi à nonnullis pro potu ordinario exhibetur ad ventriculum leviter & ſine æſtu roborandum, ut ab alimentis non moleſtetur ventriculus, ciborumque

coctio citiùs ac faciliùs perficiatur. Ab alteris commendatur in catharroſis affectibus, quos reapsè profligat, uberiorem, & æquabiliorem tranſpirationem proliciendo.]

Chocolata paratur ex fructibus cacao, amygdalis quodam modo ſimilibus, & ex Americâ nobis advectis; ſaccharo, cinnamomo, & nonnullis vanillæ ſiliquis, quæ ex Peruviâ, Mexicano regno, & ex Inſulâ San Dominicanâ ad nos afferuntur. Fructus cacao plurimùm nutriunt, ſed ſimul refrigerant, ac demulcent, ut amygdalæ. Vanilla verò, & cinnamomum ventriculum roborant, & calefaciunt, coctiones juvant, ſpirituſque recreant. Potus etiam chocolatæ optimè nutrit, ventriculum roborat, ſpiritus recreat, vireſque debilitatas inſtaurat; plurimùm itaque confert luctâ aphrodiſiacâ exſuccis, & his qui ſummas deperditiones exercitio patiuntur, ut eorum ſuſtententur vires.

Sorbitio chocolatæ paratur ſolvendo ℥i circiter chocolatæ in ſat amplo aquæ tepidæ poculo ſeu in ℥vi aut ℥vij, & coquendo donec ſolutio leviter ebulliat : deinde per horæ quadrantem digeritur ſuprà cineres calidos, & poſteà calidè hauritur.

[Verùm ut chocolatæ ſorbitio palato gratiſſima fiat poſt digeſtionem ſuprà cineres calidos ligno verſatili & idoneo fortiter agitanda eſt chocolata, donec in ſpumam abeat, tunc ſpumoſus humor in pocula diſtributus calidè hauritur.]

Ut etiam gratiſſima palato fiat chocolatæ ſorbitio [faciliùs in ſpumam abeat, magiſque nutriat] ei additur ovi vitellum. Parari quoque poteſt potus chocolatæ cum lacte ; ſed hæc ſorbitio, quæ tunc gratiſſima eſt, non tam ventriculo proficua ſit, ut ea, quæ cum aquâ communi paratur. Tandem chocolata pectori valdè utilis eſt [commendatur phtiſicis & tabidis, mo-

dò ut cum lacte paretur, & vanilla ac cinnamomum in exiguâ quantitate in ejus compoſitionem ingrediatur; ſuccum enim nutritium præbet pinguem, dulcem, qui humorum acrimoniam retundere valet.]

Thé aut thea eſt folium exſiccatum, & convolutum fruticis, qui in Japoniâ, ac Sinarum imperio enaſcitur, & colitur. Nonnulli aſſerunt huncce fruticem eſſe ſpeciem agrifolii, quod alteri denegant, exiſtimando eſſe fœniculi ſpeciem. Plures alii autumant eſſe Roſæ ſimilem. Nos verò eſſe fruticem ex radicibus ad ſummum floribus ac foliis acuminatis omninò opertum. Folia, quæ in ſummitate ramuſculorum enaſcuntur, eſſe aliis anteferenda obſervandum eſt.

[Tres in officinis occurrunt ſpecies theæ. Vulgatior *thé viridis* dicitur. Altera ſpecies pretioſior, *thea imperialis* vocatur. Tertia ſpecies

rubra, dicitur vulgò *thé Bohe.*

Omnes hæ theæ ſpecies unius & ejuſdem fruticis folia eſſe exiſtimantur, differre tantummodò tempore colligendi, & præparandi ratione. In Tractatu Materiæ Medicæ D. *Geoffroy tom.* 2. dum de vegetabilibus exoticis, poſt accuratam hujuſce fruticis deſcriptionem legitur, quomodò Japones huncce fruticem colunt, quo tempore ea colligunt folia, & quomodò ea exſiccant & convolvunt.]

Japones ſuum thé in tenuem pollinem conterunt, quem in aquam fervidam projiciunt, [dein tamdiù quaſſant donec in ſpumam elevetur.] Sinæ verò ejus tantùm tincturam calidè ſorbent, quam aquâ ferve factâ extrahunt.

Olim frequentiùs utebantur theâ Sinæ; nam hodiè ſalviam quam Batavi eis attulere, foliis thé adeò anteferunt, ut thé ſalviâ permutent; ſic ad nos faciliùs advehitur thea.

[Ut Sinæ utimur thé ; nam priùs injectis ollæ ſingulari foliis integris thé, ſuperfundimus aquam fervefactam, ut ejus extrahatur tinctura, quam dein calidè ſorbemus, ei addendo ſacchari momentum. Sed nec tantas, nec adeò eximias virtutes tribuimus theæ, ut Sinæ, & Japones, qui ad profligandos permultos morbos efficaciam potûs thé valdè prædicant. Hæc potus thé efficacia in noſtris regionibus non manifeſtatur, ubi præſertim foliis *thé* utimur ad impertiendum aquæ calidæ gratum ſaporem, ut faciliùs hauriatur, dum abluendus, ac ſimul liberandus eſt ventriculus materiis bilioſis, acribus, & nidoroſis à crapulâ præſertim ortis. Utimur & quoque potu *thé* in catharris ; nam largo aquæ calidæ potu (cui imprimis debetur tota virtus potûs thé) humores ſpiſſati diluuntur, tranſpiratio perturbata reſtituitur, facilior ac æquabilior promovetur, ſicque catharris labo-

rantes maximè ſublevantur. Tinctura thé delectationis causâ ſæpè manè hauritur, ſed uſus quotidianus ventriculi fibras laxat, appetitumque obtundit; quocircà cautè vitare debent hi, qui ventriculo, à causâ frigidâ, debili donantur. Adſunt nonnulli, qui addunt foliis thé, tempore macerationis, fruſtulum cinnamomi, ut potus *thé* aromatizetur, virtuſque ſtomachica ei impertiatur. Potus thé ſic paratus, ab eis vocatur *thé à la Sultane.*]

In uſu hodiè frequenti eſt tinctura ſalviæ, quæ ſimili modo, ac tinctura thé extrahitur. Tinctura ſalviæ vi ſtomachicâ calidâ, cephalicâ gaudet; quocircà apprimè convenit in hemicraniâ, in aliis doloribus capitis à vitio ventriculi ortis, in debilitatibus ventriculi, in membrorum ſtuporibus, in paralyſi.

[Multùm etiam conducit his, qui apoplexiâ, aut alio affectu ſoporoſo correpti fuere; nam ventriculum

roborando, motum ſanguinis ſuſcitando, faciliоremque in encephalo reddendo, eorum recurſum præcavet.

Noſtrates nunc frequentiùs utuntur meliſsâ debito modo exſiccatâ, quàm foliis *thé* & ſalviæ: nam tinctura meliſſæ palato eſt gratior. Potus meliſſæ non ſolùm delectationis causâ frequenter adhibetur, ſed etiam ad plures uſus medicos; nam ventriculum leviter roborat, ſanguinem leviter attenuat, ac diluit, mentemque mœſtam exhilarat; quocircà multùm conducit melancholicis, hypochondriacis, ac mulieribus hiſtericis. Tinctura meliſſæ ſimili modo paratur, ac tinctura *thé*, & calidè ſorberi ſolet cum ſacchari momento.]

CAPUT

CAPUT XIV.

DE OPIATIS.

CUm pharmaca valdè faſtidioſa, aut ea quæ cum aquis ſociari nequeunt, ſunt præſcribenda; mos eſt ea admiſcere cum ſyrupis, conſervis, aut cum medullâ caſſiæ; ut ſub formâ opiatæ, boli, aut pillulæ ægrotantibus exhibeantur. Exiſtimandum tamen non eſt quòd indicationes ſatisfaciendæ variæ ſint, dum remedia ſive liquida, ſive mollia, ſive ſicca exhibentur. Hâc agendi ratione expletur tantùm animus ægrotantium, qui ab omni medicamento liquido prorsùs abhorrent.

Opiatæ olim ab opio ſic dictæ fuere, quia nulla erat opiata abſque opio; nunc verò nomen opiatæ adſcribitur medicamentis, quæ majorem ſyrupis conſiſtentiam poſſident, [& quæ conſequenter mol-

M

lia, ſed bolo tenuiora ſunt.]

Præſcribuntur opiatæ ad ciendam alvum; ad ſanguinis depravationes emendandas; ad ventriculum corroborandum; inſultus epilepticos præcavendos; viſcera obſtructa, reſeranda; acceſſus febriles fugandos, tardamque venerem excitandam.

Opiatæ tum alterantes, tum purgantes, ſunt vel magiſtrales, vel officinales. Opiatæ purgantes officinales, quæ usûs frequentiſſimi ſunt, vel deglutiuntur, vel in enematibus immittendis diſſolvuntur; tales ſunt *Catholicum*, *Lenitivum*, *Diaprunum* ſimplex, aut compoſitum, *Diaphænicum*, *Benedicta Laxativa*, *Hiera piera ſimplex galeni*, *Hiera piera compoſita*, *Diacolocynthidos* ſeu *Confectio major Hamech*, & *Confectio minor Hamech*.

Opiatæ verò alterantes officinales ſunt omnes ſpecies conſervarum, ut Conſerva *Cynorrhodontis*, *Violarum*, *Bugloſſi*, *Florum cichorei*, *Roſarum rubrarum*, *Enulæ campanæ*, &c. ut & etiam

Confectio de hyacintho, alkermes, opiata Solomonis, Theriaca, Philonium Romanum, &c.

Opiatæ magiſtrales purgantes parantur tantùm ex conſervis, pulveribus, & ex ſyrupis ad quantitatem ſufficientem, ut debita conſiſtentia opiatis tribuatur.

Opiatæ magiſtrales parari poſſunt, vel pro unâ tantùm doſi, vel pro pluribus doſibus. Dum pro pluribus doſibus parantur, pondus omnium ingredientium, ſeu maſſa totius opiatæ excedere non debet ℥iv. Doſis verò eſt à ʒi ad ʒij.

Medulla caſſiæ, aut *Catholicum* à nonnullis permiſcentur opiatis, ſed perperàm. 1°. Quòd tunc opiatæ maximè faſtidioſæ fiant. 2°. Quod ſyrupis & conſervis aptiùs cooptentur pulveres.

In componendis opiatis purgantibus notandum eſt, quòd pulveres qui majori vi catharticâ donantur, minori doſi ſint aliis pulveri-

bus præſcribendi, & doſis omnium ingredientium conſtitutioni ægrotantium ſit ſemper accommodanda.

Hodiè parantur opiatæ aperientes, & purgantes cum limaturâ ferri, pulveribus, & ſyrupis officinalibus. Aliæ opiatæ purgantes in uſum non ampliùs vocantur, quia in officinis eæ opiatæ ad uſum ſemper proſtant; prætereà nobis adſunt medicamenta quæ illicò præſcripta, his opiatis majoris ſunt efficaciæ.

Opiatæ aperientes & purgantes frequentiſſimi usûs ſunt in morbis chronicis; nam non ſolùm ſuccos crudos ſanguinem conſpurcantes viis aſſuetis foràs amandant; verùm & etiam organa ſecretoria reſerant, quæ eorum ſecretioni ac excretioni inſerviunt: ob obſtructiones enim organorum ſecretoriorum magis ac magis coinquinatur ſanguis, cùm à ſuccis pravis circuitum perturbantibus ſe expedire tunc non poſſit.

Nihil in praxi utilius, quàm ape-

rientia cum catharticis ſociare, quia quâ proportione aperientia reſerant colatoria, & uberem pravorum ſuccorum ſecretionem promovent, cathartica eos foràs amandant: ideò opiatæ aperientes & purgantes conducunt in hydrope, in obſtinatis febribus quartanis, in ictero, in pallidis virginum coloribus, in inappetentiâ, in vomitu, in ſuppreſſione menſium, & in omnibus morbis, qui colatoriorum obſtructionibus debentur.

Tres ſubſequentes opiatæ aperientes & purgantes aliis opiatis magiſtralibus majoris efficaciæ nobis videntur: attamen ratione effectuum cautè eæ ſunt adhibendæ. Eæ opiatæ per novem dies continuos exhiberi poſſunt; verùm ut eæ opiatæ æſtum facilè concitant, ſatius eſt eas exhibere per duos, aut tres dies continuos; & poſt intervallum duorum, aut trium dierum eas iterùm exhibere valdè conducit. *

OPIATA

Aperiens & purgans martialis.

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ ℥ß. ſennæ mundatæ, & rhei electi pulveratorum ana ʒij. jalappæ, & ſalis abſinthii ana ʒiß. cum ſyrupo de cichoreo compoſito fiat opiata, de quâ capiat æger ʒiß. ſingulis diebus manè per IX dies, ſuperbibendo juſculum cichoreo, agrimoniâ, & capillis veneris alteratum, & deambulando lento greſſu per horam.

Vel

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ ℥ß. rhabarbari, & millepedum in clibano exſiccatorum ana ʒij. jalappæ, & ſalis tamariſci ana ʒiß. ſcammonii ℈ij. cum ſyrupo roſarum ſolutivo compoſito; fiat opiata ad uſum.

Vel

℞. Pulpæ caſſiæ ſuprà ignem paululùm exſiccatæ ℥i. ſennæ mundatæ, & rhabarbari electi pulveratorum ana ʒij. mercurii dulcis, & ſcammonii ana ℈ij. cum ſyrupo florum perſicorum, fiat opiata, de quâ capiat æger ʒiß.

Alia cum conſervis.

℞. Conſervæ capillorum veneris ℥i. ſennæ mundatæ, & rhei electi pulveratorum ana ℥ij. Reſinæ jalappæ ʒi. ſalis tartari ʒß. Extracti hellebori nigri ʒi. cum ſyrupo de pomis Regis Saboris fiat opiata, de quâ capiatur ʒi. alternis diebus manè per xviij. dies jejuno ventriculo, ſuperbibendo juſculum cichoreo, & foliis borraginis alteratum, & leviter dein deambulando.

[Hæ opiatæ ſanguinem ſpiſſum potenter ſolvunt, luxurians ſerum per alvum copiosè eliminant, viſceraque obſtructa reſerant; proſunt ergò in morbis, in quibus ſanguis ſpiſſus eſt ſolvendus; ſerum luxurians eſt eliminandum; viſceraque obſtructa ſunt reſeranda: verùm in his curandis morbis indiſcriminatim non ſunt exhibendæ hæ opiatæ, utpotè quòd non omni ætati, nec omni temperamento competunt. Inſuper notandum eſt quòd in his

morbis, ſicut etiam in aliis affectibus opiatis profligandis, non eadem ſemper præſcribatur opiata, ſed variæ opiatarum formulæ debent ſæpiſſimè fieri juxta ætatem, temperamentum ægrorum, morborumque complicationem, quòd hæ circumſtantiæ modò fortiora, modò mitiora remedia expetant. In quâcumque hydropis ſpecie ab humorum viſciditate, & ſpiſſitudine ſuſtentatâ proſunt opiatæ ſuperiùs præſcriptæ; ſed & quoque prodeſt opiata ſubſequens, quamquàm aliis mitior ſit.

℞. Croci martis aperientis rore maïali præparati ℥ß. rhei electi, & millepedum in clibano exſiccatorum, & pulveratorum ana ʒij. ſalis ammoniaci pulverati ℈iv. caſſiæ ligneæ, diagridii, & jalappæ ana ʒi cum ſyrupo de cichoreo compoſito, aut de quinque radicibus fiat opiata, cujus capiat æger ʒiß. manè jejuno ventriculo, ſumendo poſt horam unam, aut duas, juſculum chærefolio, naſ-

turtio, & cichoreo alteratum, ac deambulando, ſi vires ferant.

Ad reſeranda viſcera obſtructa, ſkirros ac tumores ſkirrodæos reſolvendos variæ præſcribuntur opiatæ, quæ numquàm in uſum ſunt vocandæ, niſi priùs præceſſerint remedia univerſalia, ac juſcula diluentia & aperientia. Sub æquali formulâ præſcribi poſſunt hæ opiatæ.

℞. Croci martis aperientis rore maïali præparati,&conſervæ enulæ campanæ ana ℥ß. millepedum præparatorum ʒij. rhei electi, caſſiæ ligneæ, & boracis pulveratorum ana ℈iv. cum ſyrupo de quinque radicibus fiat opiata, cujus capiat æger ʒi aut ʒiß. manè jejuno ventriculo, ſuperbibendo juſculum pimpinellâ, cichoreo, ac chærefolio alteratum.

In inveteratis obſtructionibus præſtantior fiet hæc opiata, ſi pro quâlibet doſi addantur grana vij. aut viij. gummi ammoniaci aut ſagapeni pulveratorum.Ptæterea vis ca-

thartica huic opiatæ impertiri poterit ei addendo jalappam, diagridium, aut etiam ſcammonium, doſi temperamento, & ætati ægri, ac morbo accommodatâ.

Opiatæ aperientes & purgantes valdè proſunt in chloroſi, & ſub conſimili formulâ parari poſſunt.

OPIATA AD CHLOROSIM.

℞. Croci martis aperientis rore maïali præparati ʒi. rhei pulverati ℈ij. cinnamomi acuti pulverati, & diacridii ana ʒß. cum ſyrupo de cichoreo compoſito fiat opiata pro quatuor doſibus.

In ſuppreſſione menſium à ſanguinis lentore, & obſtructione colatorii uterini, prodeſt hæc opiata ad chloroſim; ſed ſubſequens præſtantior eſt.

OPIATA

Suppreſſioni menſium à ſanguinis lentore, & obſtructione colatorii uterini, dicata.

℞. Croci martis rore maïali præparati

ʒij. rhei electi pulverati ʒiß. ſalis ammoniaci, croci orientalis, & macis pulveratorum ana ʒi elixirii proprietatis *Paracelſi* ʒi. cum ſyrupo de artemiſiâ fiat opiata pro octo doſibus.

Hæc opiata præſtantiſſima fiet, ſi addatur pro octo doſibus ʒi. gummi ammoniaci. Prætereà cathartica vis huic opiatæ tribuetur addendo diagridium, aut ſcammonium, ſi habitu corporis tumido, molli, leucophlegmatico ægra fuerit prædita.]

Opiatæ alterantes præſcribuntur ad ſtomachum roborandum, ad alvi fluxum compeſcendum, ad humorum acrimoniam obtundendam, ad refrigeranda & temperanda viſcera & ſanguinem, & ad extinguendum viru venereum; ideò competunt in appetitu dejecto, in coctione læsâ, in vomitu acido & nidoroſo, &c. valentque ad impediendum ne lac aceſcat in ventriculo.

OPIATA

Stomachum roborans.

℞. Conſervæ abſinthii minoris ℥i. corallorum rubrorum præparatorum, oculorum cancrorum fluviatilium, & kinækinæ ana ʒiij. carnis viperinæ exſiccatæ, & rhabarbari electi pulveratorum ana ʒij. cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat opiata, de quâ capiat ʒi aut ʒiß. per novem dies ſuperbibendo parùm aquæ cichorei, aut vini generoſi.

Vel

℞. Cancrorum fluviatilium in clibano exſiccatorum, raſuræ cornu cervi, & corticis aurantiorum vel citreorum ana ℥ß. ſalis abſinthii, & rhei electi ana ʒii cum ſyrupo de abſinthio fiat opiata ad uſum.

[Opiata ſubſequens ventriculum multùm calefacit ac vigorat, appetitum dejectum exſuſcitat, cruditates acidas extinguit. Senibus præſertim conducit, dum languens appetitus eſt exſuſcitandus; imò &

etiam his qui poſt morbum acutum de debilitate ventriculi conqueruntur.

> ℞. Conſervæ enulæ campanæ, extracti rhabarbari, ac juniperi ana ℥i. caſcarillæ, & caſſiæ ligneæ pulveratarum ana ʒß. cum ſyrupo de abſinthio, aut de cichoreo compoſito fiat opiata pro tribus doſibus manè per triduum, jejuno ventriculo, ſumendis, ſuperbibendo juſculum commune.

Hæc opiata prodeſt quoque his, qui poſt præpoſterum aut diuturnum aquarum acidularum uſum, de quâdam moleſtâ frigoris ſenſatione in ventriculo perceptâ conqueruntur, nullumque famis ſtimulum perſentiunt. In hoc caſu ʒi. extracti juniperi in vino generoſo diluta, & per triduum manè jejuno ventriculo exhibita, perſæpe ſufficit ad ventriculum calefaciendum, famiſque ſtimulum ſuſcitandum.

Ad profligandas febris acceſſio-

nes, variæ præſcribuntur opiatæ, quæ in uſum præſertim vocantur in obſtinatis febris acceſſibus. Verùm numquàm exhibendæ ſunt opiatæ febrifugæ, niſi priùs præmiſſa fuerint remedia univerſalia.

OPIATA

Ad obſtinatos acceſſus febriles profligandos.

℞. Kinækinæ in alkool redactæ ℥i. caſcarillæ tenuiſſimè pulveratæ ℥ß. cum ſyrupo de abſinthio compoſitò fiat opiata, cujus capiat æger ʒiß. quartâ quâque horâ.

Vel

℞. Kinækinæ in alkool redactæ ℥i. florum chamæmeli pulveratorum ʒij. ſalis abſinthii ℈iv. cum ſyrupo de abſinthio f. opiata pro octo doſibus ſumendis ſpatio trium dierum.

Adſunt nonnulli qui multùm prædicant efficaciam opiatæ ſubſequentis in acceſſibus febris inveteratis.

℞. Kinækinæ in alkool redactæ, & electuarii diapruni ana ℥i. cum ſyrupo florum perſicorum fiat opiata, de quâ capiat æger ʒvi. in die inter juſcula, ſervatis ſervandis.

Opiatæ ſequentes non ſemel fugavere acceſſus febriles, qui variis opiatis febrifugis reſtiterant.

℞. Kinækinæ in alkool redactæ ℥i. confectionis de hyacintho ℥ß. ſyrupi capillorum veneris ℥i. mellis Narbonenſis cochlear i. miſce, fiat opiata in tres æquales doſes dividenda, quæ per triduum aſſumentur extra acceſſum.

Vel

℞. Conſervæ enulæ campanæ & kinækinæ in tenuiſſimum pulverem redactæ ana ʒij. caſcarillæ pulveratæ, & florum chamæmeli ana ʒi. ſalis centaurii, & iridis florentinæ ana gr. xxx. cum ſyrupo de abſinthio fiat opiata pro tribus doſibus in die ſumendis, ni ægri conſtitutio obſtet.

Ad profligandas febres quartanas frequentiùs utuntur opiatis febri-

fugis, quàm ad curandas alias febrium intermittentium ſpecies; quòd perdifficile ſit eas penitùs eradicare ſolo kinækinæ uſu; idcircò cuilibet kinækinæ doſi (quæ diebus intermiſſionis ægro offertur) cum bonis ægri rebus ſæpiſſimè adduntur grana aliquot ſalis ammoniaci, vel ſalis abſinthii, vel rhei pulverati, vel agarici, vel iridis florentinæ; verùm tutiùs fugantur eæ intermittentes febres opiatis ſequentibus.

OPIATA

Ad febrem quartanam.

℞. Kinækinæ in pulverem tenuiſſimum redactæ ℥ß. rhei electi, & caſcarillæ pulveratorum ana ʒij. ſalis ammoniaci, & abſinthii ana ℈iv cum ſyrupo de abſinthio fiat opiata, cujus capiat æger ʒiß. bis quolibet die à febre omninò immuni.

Vel

℞. Kinækinæ in alkool redactæ ʒiij. caſcarillæ pulveratæ, & ſalis ammoniaci ana ʒi. florum chamæmeli, &

iridis florentinæ ana ℥i. radicis gentianæ pulveratæ ℈iv. cum ſyrupo florum perſicorum, aut de cichoreo compoſito, fiat opiata bis in die intermiſſionis ad ℥i aut ℥iß. exhibenda.

Vel

℞. Kinækinæ in alkool rédactæ ℥ß. rhei pulverati, & agarici ana ℥ij. ſalis abſinthii, & ammoniaci ana ℥i. florum chamæmeli pulveratorum ℥ij. cum ſyrupo de abſinthio fiat opiata ſimiliter exhibenda.

Quoad uſum illarum opiatarum notandum eſt, quòd protrahendus ſit uſus unius ex illis opiatis, non ſolùm quòuſque non ampliùs redeant acceſſiones, ſed etiam ultrà per plures dies, ut omninò præcaveatur earum reditus; verùm tunc ſemel tantùm in die eſt exhibenda, manè nempè jejuno ventriculo.

Aſt febres quartanæ ſæpè obſtinatæ fiunt, & per plures menſes perſeverant ob viſcerum obſtructiones; in hoc caſu profligandæ ſunt opiatis aperientibus, febrifugis, & purgantibus.

Opiata ſubſequens aperiens tantùm, & febrifuga, pluries fugavit febres quartanas à pluribus menſibus perſeverantes.

℞. Kinækinæ in alkool redactæ ℥ij. croci martis aperientis rore maïali præparati ℥ß. ſalis ammoniaci, & abſinthii ana ʒiij. cum ſyrupo de abſinthio fiat opiata, cujus capiat æger ʒiß bis aut etiam ter in die à febre omninò immuni.

OPIATA

Aperiens, febrifuga, & purgans ad febres quartanas.

℞. Kinækinæ in alkool redactæ ʒvi. croci martis aperientis rore maïali præparati, & rhei pulverati ana ʒij. ſalis ammoniaci, & abſinthii ana ʒi. florum chamæmeli ℈iv. jalappæ, & diagridii ana ʒi. cum ſyrupo roſarum ſolutivo cum ſennâ & agarico compoſito, fiat opiata pro novem doſibus.

Vel

℞. Croci martis aperientis rore maïali præparati ʒiiß. kinækinæ ʒiij. caſ-

carillæ, & rhei pulverati ana ʒij. ſalis ammoniaci, centaurii & abſinthii ana ℈ij. agarici trochiſcati ʒiß. jalappæ, & ſcammonii ana ʒi. cum ſyrupo florum perſicorum aut de cichoreo compoſito fiat opiata pro decem doſibus.]

OPIATA

Ad alvi fluxum.

℞. Conſervarum roſarum, ſymphiti majoris ana ℥iß. coralli rubri præparati, terræ ſigillatæ ana ʒiij. cum ſirupo de roſis ſiccis fiat opiata, de quâ capiat æger ʒij. ſingulis diebus manè per ix dies ſuperbibendo parùm aquæ plantaginis.

Vel

℞. Conſervæ balauſtiorum ℥ij. terræ ſigillatæ, ſanguinis draconis, & boli Armeniæ ana ʒiij. cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat opiata.

Vel

[℞. Diaſcordii fracaſtoris, & conſervæ roſarum rubrarum ana ʒi. trochiſcorum de karabe ℈ij. caſcarillæ & catechu ſinceri ana gr. xxx cum ſyrupo cydo-

niorum fiat opiata pro tribus doſibus.

Vel.

℞. Conſervæ Balauſtiorum, & diaſcordii Fracaſtoris ana ʒij. terræ ſigillatæ, catechu ſinceri, & ſanguinis draconis ana gr. xxx ipecacuanhæ gr. xxiv. miſce, & cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat opiata pro quatuor doſibus.

Vel

℞. Conſervæ kinorrhodontis ℥vi. glandium quercinarum exſiccatarum, & pulveratarum ℥iij. catechu ſinceri, & corallorum rubrorum præparatorum ana ℥iß. cinnamomi acuti pulverati ʒiij. & cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat opiata, cujus ʒi capiatur quartâ quâque horâ.]

OPIATA

Ad humorum acrimoniam, vel opiata abſorbens.

℞. Corallorum rubrorum præparatorum, & lapidum cancrorum fluviatilium ana ℥ß. kinækinæ, & rhei electi ana ʒij. cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat opiata quæ præſcribitur in uſu lactis.

OPIATA

Cancro dicata.

℞. Kinækinæ, raſuræ cornu cervi, & corallorum rubrorum præparatorum ana ℥ß. plumbi uſti, & oculorum cancrorum fluviatilium ana ʒij. cum ſyrupo de nymphæâ fiat opiata ad ʒi ſumenda.

OPIATA

Antiepileptica.

℞. Radicis pæoniæ maris, kinækinæ in alkool redactæ, & cancrorum fluviatilium exſiccatorum ana ℥ß. rhei electi, & raſuræ eboris ana ʒij. cum ſyrupo capillorum veneris fiat opiata ad ʒi aut ʒiß. exhibenda.

Vel

℞. Corallorum rubrorum præparatorum, kinækinæ & radicis pæoniæ maris ana ℥ß. rhei pulverati, & corticis aurantiorum ana ʒij cum ſyrupo de kermes fiat opiata.

Vel

℞. Conſervarum enulæ campanæ, &

florum tiliæ ana ʒij. cinnabaris antimonii gr. xxiv. pulveris de guttetâ, & caſcarillæ ana ʒi. cum ſyrupo lilii convallii fiat opiata pro quatuor doſibus.

Vel

℞. Conſervarum florum anthos, florum tiliæ & enulæ campanæ ana ʒij. croci martis aperientis rore maïali præparati, & cinnabaris antimonii ana ℈ij. radicis valerianæ ſilveſtris & caſcarillæ ana ʒi. cum ſyrupo florum tunicæ fiat opiata pro ſex doſibus.

Hæ opiatæ proſunt in epilepſiâ à ſanguinis lentore, & ſpiſſitudine ſuſtentatâ; ſed noxiæ admodùm ſunt dum à ſanguinis ſiccitate, fervore, & excandeſcentiâ exoritur morbus ſacer.]

OPIATA

Ad venerem excitandam.

℞. Conſervæ ſatyrii ℥iv. myrobalanos conditos nº. iij. confectionis de hyacintho, & alkermes ana ℥i. pulveris viperæ ʒvi. moſchi & ambræ griſcæ

ana gr. xv. cum ſyrupo de kermes, aut de condituris citri fiat opiata, de quâ capiat æger ℥ij. ſingulis diebus horâ ſomni per xij dies; debet iterari per tres aut quatuor menſes, bis aut ter in hebdomadâ, ut ſemen activitatem acquirere poſſit, & turgere ſalibus.

OPIATA

Refrigerans venerem.

℞ Conſervæ kinorrodontis ℥iij. ſalis prunellæ ℥i. ſacchari *Saturni* ʒi. cum ſyrupo de nymphæâ fiat opiata, de quâ capiat æger ʒij. ſingulis diebus manè per xij. dies.

[Hujuſce opiatæ uſus, quæ venerem refrigerat excandeſcentiam ſanguinis coërcendo, acrimoniam ſeminum retundendo, contractionem erectorum muſculorum temperando, diuturnus eſſe non debet, utpotè quòd nimis dein frigeret venus ob paralyſim muſculorum erectorum, quam ſaccharum Saturni induceret.]

OPIATA

Neapolitana ſeu antivenerea.

℞. Ligni ſancti, radicum ſalſæparillæ & chinæ pulveratorum ana ℥ß. ſennæ mundatæ, & rhabarbari electi ana ʒij. jalappæ, & aquilæ albæ ana ʒiß, vel æthiopis mineralis ʒiij. Scammonii ℈i. cum ſyrupo roſarum ſolutivo fiat opiata, de quâ capiat æger ʒij per hebdomadam alternis diebus, manè jejuno ventriculo.

Parari etiam poſſunt opiatæ ad dealbandos dentes, & ad firmandas ſcorbuticorum gingivas, de quibus cap. de *Pulveribus*.

CAPUT XV.

DE BOLIS.

* BOlus medicamentum molle, [ſed opiatâ firmius]. Parantur boli purgantes, alterantes, & rob orantes.

Bolus

Bolus purgans ex medullâ caſſiæ, aut ex aliquo electuario molli cathartico officinarum, ut e. g. *ex Catholico pro ore, Diaphænico, Diapruno, &c.* & ex pulveribus purgantibus præparatur.

Bolus verò alterans ex conſervis, confectionibus, & ex pulveribus alterantibus efformatur.

In Bolo purgante pondus medullæ caſſiæ, aut electuariorum ℥. excedere non debet, pulverum verò purgantium ʒi. Pulveres purgantes, quibus plerùmque utuntur ad efformandos bolos purgantes, ſunt *rheum pulveratum*, nonnumquam *ſenna, jalappæ radix, reſina jalappæ, ſcammonium, diacrydium, aquila alba, æthiops mineralis.*

In Bolo alterante conſervæ præſcribuntur ad ʒiß, confectiones ad ʒi, pulveres ad ʒß.

Adhibentur boli alterantes ad roborandum ventriculum in coctionibus læſis, in debilitatibus ventri-

culi, in inappetentiis, & in alvi profluviis.

Boli roborantes in uſu non ampliùs ſunt; ſed ſi præſcribendi ſint, parari debent cum conſervis, confectionibus, & pulveribus roborantibus: ita ut pondus omnium ingredientium non excedat ʒij. aut ʒiij. utpotè quòd remedia ex quibus præparantur boli roborantes, valdè calida ſunt, & majori doſi ſanguinem nimis exagitarent. Boli roborantes in uſum vocari poſſunt ad reſtaurandas vires poſt vehementes ac diuturnos morbos: proſunt præſertim ſenibus, & his qui magnis hæmorrhagiis vires ſuas amiſere. *

BOLUS

Blandè purgans Nephritridi dicatus.

℞. Pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥i. ſalis prunellæ ʒi cum ſaccharo, & pulvere liquiritiæ fiant boli plures, qui nebulis involvantur, & devorentur manè, ſuperbibendo juſculum herbis refrigerantibus alteratum, aut cyathum ſeri lactis.

Alius fortior.

℞. Pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥i. rhei electi ℥ß. ſalis prunellæ ʒij. miſce, fiant boli plures manè ſumendi.

* Hi Boli ſicut etiam dilutum caſſiæ in nephritide valdè proſunt, ad foràs amandandos, quin renes æſtuent, pravos ſuccos in primis viis hærentes ac ſanguinem inquinantes. Hæc cathartica exhiberi quoque poſſunt in iſchuriâ ſeu omnimodà urinæ ſuppreſſione, quæ nephritidem concomitatur; & offerri etiam poſſunt ægro dum eſt in balneo, ſi ſummus ſit dolor. Nam abſolutè neceſſarium eſt ſanguinem liberare ab urinâ, quæ ob renum tumefactionem ac eorum obſtructiones, ab eo ſecerni nequit, indèque ægro ſemper imminet grave ſymptoma mortem inferens, ut ſubitaneus ad cerebrum fluidorum appulſus, aut laxitas ſumma emporii, quæ lethargum aut alium affectum ſopo-

roſum accerſit ; aut colluvies ſeri in thorace ; aut ſubitus abdominis hydrops.

Nonnumquam boli ſuperiùs præſcripti minori pollent efficaciâ ad ſufficientem ſeri evacuationem promovendam : tunc acuendi ſunt cum aliquot granis pulveris jalappæ , & iterandi alternis diebus per totum ſuppreſſionis urinæ decurſum : quòd ſi tunc in uſum non advocarentur hæc cathartica, aliquod grave ſymptoma ſanè adveniret. Poſt aliquot verò dies evenit urinarum vias fieri liberiores ſive variis remediis , quæ eodem tempore cum catharticis offeruntur , ſive actione urinæ in parietes *tubulorum pelvis* , aut in parietes *pelvis* , in quibus lapilli ſæpè irretiti hærent. Hæc diſtenſio *tubulorum pelvis* , aut *pelvis* ab urinâ excitatâ , & continua actio urinæ ſubſequentis in lapillos , deſcenſum lapillorum in ureteres & in veſicam promovent, quibus in veſicam de-

lapſis, urina dein continuo filo ad veſicam appellit. *

BOLUS

Nephritidi & ſupreſſioni urinæ dicatus.

℞. Pulpæ caſſiæ recentis ℥i. rhei electi & pulverati ʒß. jalappæ gr. xv. cum ſaccharo, & liquiritiâ fiant boli plures.

BOLUS

Suppreſſioni urinæ dicatus, cum ſubito abdominis hydrope.

℞. Pulpæ ſiliquæ ægyptiacæ ℥i. ſucci iridis noſtratis ritè defœcati, & cum vitello ovi unius permixti ℥ß. pulveris jalappæ gr. xij. cum ſaccharo, & liquiritiâ fiant Boli plures.

* Majori cum ſucceſſu exhibetur in illo caſu ſuccus iridis noſtratis ab ℥iß. ad ℥ij. aut ℥iij. in juſculo leniente, aut in ℥ij. aquæ liliorum; vel diſſolutus vitellis duorum ovorum præſcribitur. Hocce remedium ſalibus acribus multùm turget; præſcribendum itaque eſt, cùm

in renibus materies viſcoſæ urinæ ſecretionem prohibentes, & effuſioni ac collectioni ſeri in abdomine anſam præbentes, latitant. *

BOLUS CUM ELECTUARIIS.

℞. Pulpæ caſſiæ, & catholici pro ore ana ℥ß. jalappæ pulveratæ gr. xij. miſce, fiat bolus.

Validior Bolus cum electuario.

℞. Pulpæ caſſiæ ʒvi. diaphænici ʒij. reſinæ jalappæ gr. vi. cremoris tartari ℈ij. miſce, fiat bolus.

BOLUS

Ad affectus venereos.

℞. Pulpæ caſſiæ ℥i. aquilæ albæ ℈i. aut æthiopis mineralis ʒß. jalappæ gr. xij. miſce, fiant boli plures.

Vel

℞. Pulpæ caſſiæ ʒvi. terebinthinæ Venetæ in aquâ liliorum ritè lotæ ʒij. æthiopis mineralis ℈ij. diacrydii gr. viij. miſce, fiant boli plures.

BOLUS

Ad ſtomachum roborandum.

℞. Conſervæ roſarum ℥iß. confectionis de hyacintho ℥i. corallorum rubrorum præparatorum ʒß. miſce, fiant boli plures.

BOLUS

Ad alvi fluxum.

℞. Conſervæ balauſtiorum ʒij. corallorum rubrorum præparatorum, & terræ ſigillatæ ana ℈i. miſce, fiant boli plures.

BOLUS

Ad vires inſtaurandas.

℞. Conſervæ florum buglоſſi ʒiß. confectionis alkermes ʒi. pulveris viperarum gr. xv. miſce, fiant boli.

* Hi boli ad vires reſtaurandas in uſum hodiè non ampliùs vocantur; ſed eis ſubſtituuntur opiatæ roborantes, quæ ad plures doſes

præſcribi ſolent; quod in bolis præſcribendis perfici nequit, utpotè quòd pro unâ tantùm doſi boli præparantur.

CAPUT XVI.

DE PILULIS.

Pilulæ ſunt remedia figurâ rotundâ, durâ, majori conſequenter bolis ac opiatis conſiſtentiâ, quæ in plures globulos dividuntur, & foliis auri aut argenti dein obvolvuntur, aut ſaccharo, aut pulvere liquiritiæ cooperiuntur, ut faciliùs deglutiantur, & ingratus ingredientium ſapor non ab ægris percipiatur.

Hodiè rariſſimi usûs ſunt pilulæ; nam hæc remediorum conſtitutio adhibetur tantùm cùm hydrargirum cum catharticis, aut aloë ægris ſunt præſcribenda.

Officinales vel *Magiſtrales* ſunt pi-

lulæ. *Officinales* parvo numero nunc in officinis proſtant, quia rarò à Medicis præſcribuntur. Eæ quæ in officinis hodiè ſervantur, ſunt pilulæ *Cocciæ majores* & minores, *pilulæ agarici*, [quæ vi catharticâ donantur, & *pilulæ de cynogloſſo*, quæ narcoſim inducunt.]

Pilulæ quæ à Medicis pro curandis morbis componuntur, *Magiſtrales* dicuntur. Eæ pilulæ præparantur ex variis purgantibus cum correctivis omnibus in pulverem redactis, & ſyrupo convenienti, aut alio liquore idoneo exceptis. Pondus omnium ingredientium, ſeu maſſa pilularis ℥ij aut ℥iij quantitatem excedere non debet.

Omnium pilularum ab antiquis Medicis præſcriptarum aloë ſoccotrina baſis eſſe ſolebat; ſed rarò in uſum venit aloë ad componendas pilulas.

Adhibentur tantùm pilulæ ad movendam alvum eorum, qui à

potionibus & bolis catharticis prorſùs abhorrent; ſed cautè exhibendæ ſunt delicatulis, & his qui debili donantur pectore. Proſunt pituitoſis & in hydrope. *

PILULÆ PURGANTES.

℞. Aquilæ albæ ritè præparatæ ℈i. jalappæ gr. xv. cum paucâ conſervæ roſarum quantitate fiant pilulæ, quæ dentur manè.

Aliæ efficaciores hydropi convenientes.

℞. Sennæ mundatæ ℥ß. rhei electi ʒiij. jalappæ ʒij. ſcammonii ʒi. cremoris tartari ʒij. fiat omnium pulvis, & cum quantitate ſufficienti ſyrupi roſarum ſolutivi compoſiti fiat maſſa pilularis, è cujus ʒi. formentur pilulæ iv. aut v. devorandæ bis in hebdomadâ, iterando per menſem.

PILULÆ
Hydropi maximè dicatæ.

℞. Elaterii gr. v. vel vi. ſalis tartari ℈ß. cum pauco conſervæ roſarum, fiant pilulæ quæ dentur manè.

PILULÆ EMETICÆ.

℞. Tartari emetici gr. viij. diacrydii gr. vi. cum pauco conſervæ roſarum fiant pilulæ manè devorandæ.

Alia magis emetica.

℞. Pulveris algaroth gr. iij. diacrydii gr. vi. cum pauco conſervæ roſarum fiat pilula manè devoranda.

Hæ pilulæ emeticæ proſunt in omnibus morbis, quibus conducunt emetica. Feliciter exhibentur in epilepſiâ non ſolùm ad præcavendos paroxyſmos; verùm etiam ad eam penitùs eradicandam modò ut inveterata non ſit. In hocce morbo ſexies in anno præſcribuntur pilulæ emeticæ; præſertim eæ quæ ex tartaro ſtibiato præparantur; nam quæ ex pulvere algaroth conficiuntur, corpus ſummoperè exagitant. Præſcribuntur itaque ter verno tempore, quinto decimo quoque die; ter quoque autumnali tempore; ſed

apprimè conducit poſt quamlibet doſim pilularum emeticarum, ægrotanti per tres dies continuos exhibere opiatam antiepilepticam ex radice pæoniæ maris paratam, quæ, dum de Opiatis, deſcripta fuit. Præparantur pilulæ aptiſſimæ ad deſtruendum virus venereum, quod ſanguinem nondum inquinavit, nec luem veneream intulit; idcircò apprimè proſunt *in bubonibus venereis*, *in ulcuſculis cancroſis*, *in gonorrhæâ virulentâ.*

Ulcuſcula cancroſa, buboneſque venerei pilulis antivenereis profligantur, quin neceſſum ſit alia præmittere auxilia; niſi ſtatus ventriculi catharſim expoſtulet, aut ægri temperamentum, phlogoſiſque partis ulcuſculis obſeſſæ venæ ſectionem indicent. Verùm in curandâ gonorrhæâ virulentâ ſecùs eſt agendum, ob inflammationem conceptaculorum ſeminis gonorrhæam virulentam concomitantem, quæ pilulis antive-

nereis adaugeretur, ſi alia remedia earum uſum non præceſſiſſent. Priùs itaque in hocce curando morbo præſcribuntur venæ ſectiones, ptiſanæ diluentes & edulcorantes, emulſiones, ut remittatur inflammatio, temperetur urinæ ardor, aliaque ſymptomata mitigentur. His auxiliis remiſsâ ſemel inflammatione, & mitigatâ dyſuriâ, præſcribi poſſunt quinto, aut quarto quoque die pilulæ ſubſequentes. *

PILULÆ ANTIVENEREÆ.

℞. Hydrargyri ritè defœcati, & cum terebinthinâ extincti ℥iß. rhabarbari electi, & ſennæ mundatæ ana ʒiij. jalappæ ʒij. ſcammonii ℈iv. cum ſyrupo de cichoreo compoſito fiat maſſa pilularis, de cujus ʒi formentur pilulæ iv. aut v. devorandæ manè.

PILULÆ

Ad inveteratam gonorrhæam.

℞. Æthiopis mineralis ℥iß. rhei electi & karabe ana ʒij. cum ſyrupo de ci-

choreo compoſito fiat maſſa pilularis, de cujus ʒi formentur pilulæ iv. aut v. devorandæ manè, & iterandæ bis in hebdomadâ per ij. aut iij. menſes.

Vel

℞. Hydrargyri ritè defœcati & cum terebinthinâ extincti ℥i. rhei electi ʒß. Karabe ʒij. cum ſyrupo roſarum ſolutivo compoſito fiat maſſa pilularis, de cujus ʒi. formentur pilulæ iv. aut v. manè devorandæ, & iterandæ bis in hebdomadâ per tres menſes.

* Nullum eſt pharmacum præſtantius ad acida ventriculi deſtruenda ac expellenda, ventriculique tonum exſuſcitandum ipſâ aloë. Ejus amaritudo, ac ſalia alkalina quibus turget, hoſce præſtant effectus ſuccum gaſtricum inertem acuendo, ſuccoſque viſcoſos, parietibus ventriculi adhæreſcentes, ac eum moleſtantes dividendo & attenuando. Hoc evidentiſſimè comprobatur ciborum appetentiâ, quam adducit aloë.

Uſurpatur aloë ſoccotrina, ut aliis ſpeciebus aloës præſtantior ac

purior, ad parandas pilulas *Franco-furti* ſeu ante cœnam, aut gallicè *Pilules gourmandes*, quod ante cœnam ſoleant devorari, ut ingeſtis, quibuſcum permiſcentur, earum fortis actio obtundatur, & præcaveantur gravia ventris tormina, quæ inferunt, dum ſine hâc cautione uſurpantur. Hæ pilulæ ante cœnam devoratæ, & cum alimentis permixtæ coctionem alimentorum accelerant, ac perficiunt; & craſtinâ die per ſeceſſum abſque ullis ventris torminibus evacuant ſuccos pravos ac viſcoſos, qui ſuccum gaſtricum inertem efficiebant. Hæ pilulæ numquàm præſcribi debent delicatulis, nec his qui hæmorrhoïdibus obnoxii ſunt, & qui debili donantur pectore, ne ob nimiam ſanguinis rarefactionem, quam concitant, promoveantur hæmorrhoïdes, aut ſuperveniat immoderatus hæmorrhoidum fluxus, vel ſputum ſanguinis, vel ex aliâ quâcumque corporis parte ſan-

guinis profuſio. Francofurti nimia aloës actio temperatur ac imminuitur violarum infuſione. *

PILULÆ FRANCOFURTENSES.

℞. Aloës ſoccotrinæ puriſſimæ quantitatem quam volueris; fiat pulvis tenuiſſimus, qui in vas vitreum conjiciatur, & affusâ aquâ violarum ad eminentiam iv. digitorum, pone in balneo calido vaſe accuratè clauſo. Statutâ per triduum infuſione, tunc aqua tincta decantetur, à fœcibus ſeparetur, & aſſervetur in alembico vitreo probè clauſo: affunde dein relictæ materiæ aliam violarum aquam, & poſt digeſtionem liquor tinctus auferatur, & adjiciatur priori: tunc alia violarum aqua infundatur, donec tandem nullum ampliùs attrahat colorem. Aquam omnem tinctam diſtilla ſimul per alembicum, aut evapora in patellâ fictili vitreo operculo obductâ, cineribus calidis impoſitâ, donec materia inſtar mellis craſſeſcat; tandem per pondus æquale ſuccus violarum addatur, & fiat inſpiſſatio ad inſtar maſſæ pilularis, de quâ fiant pilulæ à ℈i ad ʒi. ante cœnam uſurpandæ.

Aliæ pilulæ efficaciores ante cœnam uſurpandæ.

℞. Aloës optimæ ſucco roſarum nutritæ ℥i. rhei electi ℥ß. ſalis abſinthii ʒiij. cum ſyrupo de cichoreo compoſito fiat maſſa pilularis, de quâ ℈ij. formentur in pilulas iv. aut v. quæ auro cooperiantur, & devorentur ante cœnam bis aut ter in hebdomadâ per menſem.

CAPUT XVII.

DE TABELLIS.

* TAbellæ ſunt medicamenta ſolida, plana, quæ ex pulveribus diverſis, & ſaccharo præparantur ad demulcendam fluidorum acrimoniam, ad tuſſim pacandam, ad detergenda pulmonum ulcera, ad viſcera obſtructa reſeranda, ad vires reſtaurandas in ſenibus & convaleſcentibus; tandem ad purgandos pravos ſuccos, ſanguinis maſſam inquinantes.

Officinales vel *Magiſtrales* dicuntur Tabellæ. Officinales, quia in officinis proſtant, ut ſunt v. g. tabellæ ex ſaccharo tantùm roſato & margaritis conſtantes, quæ *manus Chriſti perlata* vocitantur; tabellæ *de althæâ* quæ apprimè conducunt ad pacandam tuſſim, & ad edulcorandam fluidorum acrimoniam. Tabellæ *de chocolatâ*, tabellæ *ſeu ſaccharum de violis*, *de malo aureo*, *de piro bergomio*, *de citro*, quæ frequentiùs apud fructuum conditores, quàm apud pharmacopolas præparantur. Proſtant & quoque in officinis tabellæ purgantes; tales ſunt tabellæ *Diacarthami*, tabellæ *de citro*, de ſucco roſarum, &c. Magiſtrales verò, dum à Medicis pro morbis curandis componuntur.

Ut tabellæ grati ſaporis, debitæque conſiſtentiæ componantur, proportio pulveris ad ſaccharum eſſe debet, ut pro quâlibet pulveris drachmâ ſint drachmæ ſex, aut ad

ſummum uncia una ſacchari, præſertim ſi pulveres ingrati ſint ſaporis. Verùm ſi ingrati non ſint pulveres, drachmæ quatuor aut quinque ſacchari pro quâlibet pulveris drachmâ ſufficiunt.

Rari ſunt usûs tabellæ *Officinales*, & numquam aut rariſſimè *Magiſtrales* præſcribuntur, quia quantitas nimia ſacchari, quo turgent, ſtomachum ſubvertit, & depravat; attamen dari poſſunt his qui à cæteris remediorum formis abhorrent. *

TABELLÆ

Lenientes, tuſſi vehementi, & humorum acrimoniæ dicatæ.

℞. Pulpæ radicis altheæ in decocto conſolidæ majoris coctæ ℥viij. adde ſacchari optimi ℔ j. coque ſ. a. cum ſ. q. aquæ hordei ad debitam conſiſtentiam, ut fiant tabellæ ponderis ʒi, quarum unam aut alteram teneat æger in ore in vehementi tuſſi.

TABELLÆ
Detergentes, in aſthmate, & ulcere pulmonum.

℞. Florum ſulphuris ℥ß. florum Benzoïni ʒij. ſacchari optimi in aquâ hordei ad debitam conſiſtentiam coĉti ℥iv. fiant tabellæ ſ. a. ponderis ʒi. quarum unam in ore teneat æger.

TABELLÆ APERIENTES.

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ ʒiij. reſinæ jalappæ ʒi. ſacchari optimi ℥iv. fiant tabellæ cum mucilagine gummi tragacanthi ponderis ʒiß. quarum duas capiat manè jejuno ventriculo, ſuperbibendo juſculum agrimoniâ, & cichoreo alteratum, deambulando poſteà per horam, & continuando per ix dies.

* Tabellæ ex ferro paratæ, & aliæ, quæ ex pulveribus aperientibus & abſorbentibus præparari poſſunt, parvæ ſunt efficaciæ, ob nimiam ſacchari quantitatem, quæ requiritur, ut ritè præparentur. Parari tamen poſſunt tabellæ roboran-

tes, ſed eæ tabellæ parari debent ex pharmacis quæ ſuos præſtent effectus, quamquàm parvâ doſi præſcribantur. *

TABELLÆ VITÆ

Ad vires reſtaurandas in ſenibus, & convaleſcentibus.

℞. Confectionis alkermes ℥i. ambræ & moſchi ana ʒij. ſacchari ad debitam conſiſtentiam cocti ℔ j. fiant tabellæ ſ. a. ponderis ʒi. aut ʒiß. vel ʒij. quarum unam capiat æger manè jejuno ventriculo, & continuet per triduum.

TABELLÆ

Purgantes in affectu venereo.

℞. Aquilæ albæ ℥i. reſinæ jalappæ ʒij. ſachari optimi ℥vi. cum mucilagine gummi tragacanthi fiant tabellæ ſ. a. quarum unam capiat manè jejuno ventriculo.

CAPUT XVIII.

DE PULVERIBUS.

[*Pulvis eſt medicamentum formâ ſiccum, ex vegetabilibus, animalibus, foſſilibuſve contritis, & comminutis, nunc ſolis, nunc ſimul mixtis, compoſitum.*]

* UT ritè præparentur pulveres, remedia, ex quibus parari debent in mortario ſunt conterenda, & dein trans ſetaceum trajicienda. Dum pulvis tenuiſſimus eſt, *alkool* dicitur.

Pulveres ſunt *Officinales* aut *Magiſtrales*; & ii pulveres *purgantes* aut *alterantes* ſunt.

Pulveres officinales ſunt pulveres *Diamargariti frigidi*, *Diarhodon Abbatis*, *Diambræ*, *Diatrium Santalorum*, *de Gutteta*, *de tribus*, *ſeu Conachinus*; & plures alii qui hodiè

rarioris ſunt uſûs. (*a*)

Magiſtrales pulveres dicuntur *purgantes*, *emetici*, *roborantes*, *refrigerantes*, aut idonei ad ſalivationem promovendam. Pulveres purgantes præſcribuntur eis qui à potionibus, opiatis, bolis catharticis prorsùs abhorrent.

Pulveres purgantes vel mediocri, vel forti virtute catharticâ donantur; prout ex catharticis mediocribus, ut ex *rheo*, *ſennâ*, *jalappa* componuntur; vel ex mochlicis, ut ex *ſcammonio*, *reſinâ jalappæ*, *elaterio*, *croco metallorum*, *pulvere algaroth*, &c.

Sumuntur pulveres in cochleare uno aut altero vini, aquæ, juſculi,

---

(*a*) Usûs frequentiſſimi nunc ſunt pulveres *de Guttetâ*, & de tribus. Quotidiè enim exhibetur prior ad præcavendos epilepſiæ, convulſionum, motuum ſpaſmodicorum, vertiginiſque recurſus; poſterior verò ad movendam alvum eorum, qui temperamento pituitoſo præditi ſunt: præſertim dum potiones catharticas, boloſque purgantes reſpuunt.

infuſionis *thé* aut *meliſſæ* ; aut in cochleare panatellæ , vel admiſcentur vitello ovi , pulpæ pomi cocti , aut tantillo alicujus conſervæ , ut indè ſub ſpecie boli deglutiantur.

Quantitas pulveris purgantis in plures doſes dividenda , qui ægris præſcribitur , ut identidem eorum alvus moveatur , unciam excedere non debet. Doſis quæque pulverum purgantium eſt ad ſummum ad ʒi. ſicut & etiam doſis pulverum alterantium , excepto corticis peruviani pulvere , qui perſæpè ad drachmas duas præſcribitur.

Utuntur quotidiè Medici pulveribus purgantibus ad fallendos ægrotantes , præſertim pueros , qui potiones catharticas reſpuunt , aut eas nolunt deglutire. In omnibus morbis conveniunt , in quibus movenda eſt alvus, præſertim dum vermes in ventriculo & inteſtinis nidulantes ſuſpicantur , in quo caſu præſcribitur *aquila alba* cum aliquo carthartico.

Adhibentur

Adhibentur & quoque pulveres purgantes loco opiatarum in hydrope, & in organorum ſecretoriorum obſtructionibus ad variandas tantùm remediorum formas, & ut curativa methodus ægrotantibus magis arrideat.

Pulveres alterantes eodem modo ac opiatæ ejuſdem nominis vires ſuas exerunt, præſcribuntur in iiſdem caſibus, præſertim dum opiatas alterantes reſpuunt ægri. *

PULVIS VALIDE PURGANS.

℞. Sennæ mundatæ ℥ß. rhei electi ʒij. jalappæ ʒiß. ſcammonii ℈i. fiat omnium pulvis ſ. a. & miſce, de quo capiat æger ʒi. cum juſculo herbis refrigerantibus alterato, & continuabit per hiemis decurſum ſingulis quindecim diebus. In rheumatiſmo, arthritide, cachæxiâ, & ſimilibus, præſtans eſt hic pulvis.

PULVIS
Moderatiùs purgans.

℞. Sennæ mundatæ ℥ß. rhabarbari

electi ℥ij. jalappæ, & cremoris tartari ana ℥i. fiat ſ. a. pulvis, de quo capiat ſingulis quindecim diebus ℥i. per autumni & hiemis decurſum cum juſculo herbis refrigerantibus alterato.

PULVIS VALIDIUS PURGANS.

℞. Sennæ mundatæ ℥ij. rhei electi ℥i. reſinæ jalappæ ℈ii. elaterii ʒß. miſce, fiat pulvis ſ. a. de quo capiat ℈i. manè cum juſculo herbis aperientibus alterato, & iterabitur decimo quoque die, per duos aut tres menſes.

Valet hic pulvis ad ſeroſos humores citò evacuandos & in hydrope efficax eſt; imò ſi affectus urgeat, poterit iterari ſingulis hebdomadis per menſem aut ſeſqui menſem.

PULVIS

Ad obſtructiones pertinaces.

℞. Limaturæ ferri rubiginoſæ ℥ß. ſennæ mundatæ, & rhei ana ℥ij. jalappæ ℥iß. ſalis abſinthii ℥i. miſce, fiat ſ.a. pulvis, de quo capiat ℈ij. vel ℈ijß. ſingulis diebus manè jejuno ventriculo, cum juſculo cichoreo & pim-

pinellâ alterato, deambulando ſuper, & continuando per decem dies.

[*PULVIS APERIENS.*

℞. Croci martis aperientis rore maïali præparati, & caſſiæ ligneæ pulveratæ ana ʒij. ſacchari candi pulverati ℥ß: miſce, fiat pulvis, cujus tantùm quantùm mucrone cultri arripi poteſt, ſeu à gr. x. ad xx. detur bis in die, manè jejuno ventriculo, & horâ quartâ pomeridianâ, ejuſque uſus iteretur per unum aut alterum menſem.

Hic pulvis mirè confert delicatulis, qui obſtructione viſcerum corripiuntur; ſed apprimè convenit, poſt doſim matutinam, eis propinare juſculum cichoreo, chærefolio, naſturtio ac cancris fluviatilibus alterato: prodeſt & quoque mulieribus chloroſi laborantibus.

Pulveres ſubſequentes in iiſdem caſibus miros quoque præſtant effectus.

PULVIS APERIENS.

℞. Croci martis aperientis rore maïali

præparati, millepedum præparatorum ana ℥ij. cinnamomi, ireos florentinæ ritè pulveratorum ana ʒß. ſacchari candi pulverati ℥iij. miſce, fiat pulvis de quo capiantur bis in die gr. xx. & per menſem integrum continuabitur.

Vel

℞. Croci martis aperientis rore maïali præparati ʒij. rhei electi pulverati, & millepedum præparatorum ana ʒi. Boracis ℈ij. cinnamomi pulverati, & ireos florentinæ ana ʒß. ſacchari albiſſimi ʒiij. miſce, fiat pulvis de quo capiat æger ſemel tantùm in die manè jejuno ventriculo à gr. xx. ad xl. ſuperbibendo juſculum foliis cichorei, pimpinellâ, & naſturtio alteratum.

PULVIS
Ad menſes ſuppreſſos revocandos.

℞. Croci martis aperientis rore maïali præparati ʒiij. croci orientalis, & macis pulveratorum ana ʒi. boracis & cinnamomi ana ℈ij. ſacchari candi ʒiv. miſce, fiat pulvis, de quo capiat ægra ʒß. manè jejuno ventriculo ſuperbibendo unum aut alterum infuſionis meliſſæ poculum.]

* N. B. Quòd pulveres ad plures doſes componi non debeant, niſi dum ii per plures dies ſunt uſurpandi. *

PULVIS

Purgans ad vermes enecandos.

℞. Aquilæ albæ ℈i. jalappæ gr. xv. miſce, fiat pulvis, qui detur cum cochleari panatellæ, aut cum pulpâ pomi cocti.

N. B. Pro puerulis minuendam eſſe doſim ſublimati dulcis, & jalappæ, ratione ætatis.

PULVIS

Æthiops mineralis dictus.

℞. Hydrargiri ritè defœcati ℥ij. florum ſulphuris ℥ß. agitentur in mortario vitreo, donec globuli mercurii penitùs evaneſcant, & maſſa redigatur in pulverem fuſcum & tenuiſſimum, qui paululùm aſſervatus maximè nigreſcit.

* Hic pulvis multùm valet adversùs morbos venereos [ſed incipientes

& locales, ut gonorrhæam, ulcuſcula, bubones.] Multùm quoque prodeſt in febribus putridis, malignis, verminoſis. Æthiops mineralis ſublimato dulci debet ſemper anteferri, utpotè quòd abſque ullo corroſivo præparetur, dum è contrà ſublimatum dulce paratur ex quatuor partibus ſublimati corroſivi, & tribus partibus mercurii vivi ſimul lento igne ter aut quater ſublimatis. Prætereà frequens mercurii dulcis uſus ventriculum ſubvertit, & depravat, ob acidum quod in eo latet, & ſalivationem perſæpè movet pro puerulis ſemper periculo plenam; quæ numquam excitatur ab uſu, quamquàm diuturno, æthiopis mineralis. Æthiops mineralis præſcribitur à drachmâ ſemiſſe ad grana quadraginta, & exhibetur vel ſolus, ut in febribus verminoſis; vel mixtus cum medicamentis purgantibus, dum exhibetur ad debellanda luis venereæ ſymptomata, aut ad purgandos in-

ſantes cruditatibus ventriculi aut vermibus obnoxios. *

PULVIS EMETICUS.

℞. Pulveris algaroth gr. iv. Scammonii gr. v. miſce, fiat pulvis.

PULVIS
Cornachinus ad Hydropem.

℞. Antimonii diaphoretici gr. xij. Scammonii ℈ß. cremoris tartari gr. iv. miſce, fiat pulvis, qui detur cum juſculo.

PULVIS REFRIGERANS.

℞. Salis prunellæ gr. xx. ſalis Saturni ℈ß. miſce, fiat pulvis, qui detur cum cyatho amplo aquæ fontanæ manè & ſerò, bis in hebdomadâ.

PULVIS ROBORANS.

℞. Corallorum rubrorum præparatorum, oculorum cancrorum fluviatilium, & kinækinæ ana ℥ß. miſce, fiat pulvis, de quo capiat æger ʒi. ſingulo manè per decem dies cum juſculo agrimoniâ, cichoreo, & pimpinellâ alterato; poſſunt addi ʒij. rha-

barbari pulverati dum ſtomachus languet.

PULVIS AD PTIALISMUM.

℞. Præcipitati albi mercurii gr. viij. ſcammonii gr. v. miſce, fiat pulvis dandus per triduum cum pomo cocto.

* Hujuſce pulveris uſus ventriculum omninò ſubvertit ac debilitat; inappetentiam enim, totiuſque corporis languorum infert; quocirca numquam in uſum venit, niſi dum ægro lue venereâ affecto nec lubet nec licet frictiones mercuriales experiri. * (*k*)

(*k*) Ad mitigandam luem veneream, dum ægro nec lubet, nec licet unctiones mercuriales experiri, & ad eradicandos morbos venereos incipientes, & locales, abſtinendum ſemper eſt à præcipitato albo mercurii, & ab aliis præcipitatis mercurialibus; utpotè quòd vomitiones, & catharſes immodicas perſæpè movent, ſtomachum pervertunt, imò non rarò erodunt, pulmonibuſque ſæpè nocent; ſed adhibenda ſunt præparata mercurialia blandiora & leniora, ut mercurius dulcis ritè ſublimatus, æthiops mineralis, panacea mercurialis, doſi ætati, temperiei, naturæ ac gradui morbi ſemper accommodatâ. In his caſibus tutius adhibetur, ſub formâ pilularum, hydrargirum ritè defœcatum, & cum pauco

[Præparantur pulveres abſorbentes usûs frequentiſſimi ad obtundenda, & deſtruenda acida, quæ ventriculum non raró moleſtant. Hi pulveres offeruntur his qui lacte utuntur, ut præpediatur in ventriculo lactis coagulatio. Præſcribuntur & quoque lactentibus, dum lac in eorum ventriculo præſentia acidi malè concoquitur, quod noſcitur dejectionibus alvinis; nam dum lactentes benè ſe habent, flavæ, & æquabiles ſunt fœces alvinæ, & numquam virideſcunt. Sed dum lac incipit malè concoqui, ob acidi præſentiam, fœces excretæ, quamquàm flaveſcant, brevi poſt in aëre aperto virideſcunt. Aſt dum acidum omninò prædominatur, fœces virides excernuntur, & aliquandò tam ſaturati coloris, ut maculis æruginis inſtar lintea tingant. Ex majore aut

terebinthinæ extinctum; pilulæ itaque antivenereæ ſuperiùs deſcriptæ in hiſce circumſtantiis multùm proſunt, miros quoque præſtant effectus.

minore colore viridi cognoſcendæ ſunt copia & acrimonia acidi, cui ſæpiſſimè debentur ſingultus, vomitus, diarrhææ, tormina ventris, & plures alii morbi, quibus non raró diſcruciantur lactentes.

Pulveres abſorbentes lactentibus præſcribi debent non ſemel tantùm in die, ſed bis aut ter, dum exigit morbus, doſi autem ſemper ætati accommodatâ.

PULVIS ABSORBENS.

℞. Corallorum rubrorum præparatorum, oculorum cancrorum fluviatilium ana gr. x. cornu cervi philoſophicè præparati gr. xv. miſce, fiat pulvis pro unâ doſi.

Vel

℞. Corallorum rubrorum præparatorum, lapidum hyacinthorum ana gr. xv. miſce, fiat pulvis pro unicâ doſi.

Vel

℞. Oculorum cancrorum fluviatilium, & cretæ Briançonenſis ana gr. x. cor-

nu cervi philoſophicè præparati ℈i. miſce, fiat pulvis pro unicâ doſi.

PULVIS
Virtute abſorbenti & ſtomachicâ donatus.

℞. Corallorum rubrorum præparatorum & lapidum hyacinthorum ana gr. viij. *Catechu* ſinceri, & caſcarillæ pulveratæ ana gr. x. miſce, fiat pulvis pro doſi unicâ.

Hic pulvis apprimè conducit ad acida obtundenda, ac ea deſtruenda; ſimulque ventriculum roborandum, ciborumque coctionem juvandam.

PULVIS
Expectorationem promovens.

℞. Florum benzoïni gr. vi. ſulphuris loti gr. x. caſcarillæ gr. xij. miſce, fiat pulvis pro doſi unicâ, cui addi poteſt ſaccharum candum.

Hic pulvis mira præſtat in aſthmate humido, cum ſummo fluido-

rum lentore, ad deturbandam per expectorationem lympham craſſam ac viſcoſam, quâ pulmones in hoc morbo obruuntur.]

MEDICAMENTORUM CONSTITUTIO.

LIBER SECUNDUS, DE *REMEDIIS EXTERNIS.*

QUemadmodùm interna, ſic quoque remedia externa, tum liquidâ, tum molli, tum ſiccâ formâ præſcribuntur; quocirca in hâc ſecundâ parte idem ſervabitur ordo, ac in primâ; itaque primò de liquidis, dein de mollibus, tandem de ſiccis remediis externis agetur.

CAPUT I.

DE BALNEO.

BAlneum eſt remedium externum, quod præſcribitur ad refrigerandum, humectandum, leniendum *in viſcerum doloribus*, *in melancholicis*, *in hypochondriacis*, *in maniacis*, *in febre lentâ*, *in tuſſi moleſtâ & rebelli*, *in ſcabie*, *in elephantiaſi*, *in fine gonorrhææ virulentæ*, *in dyſuriâ*, *in colico dolore*, *in nephritide*, *in urinæ ſuppreſſione*, *in ileo*, *in lienis*, *& hepatis ſkirro*, & valet ad omnes affectus in quibus neceſſe eſt ſanguinis motum compeſcere, viſcerum ardorem extinguere, humores acres diluere & mitigare, ſpirituum impetus coërcere, partium ſqualorem corrigere, & duritiem, & ſkirros infimi ventris emollire: inſervit etiam ad humectandos & mitigandos humores venereos,

& hydrargyroſi præmittitur, ut feliciùs ſuccedat.

Notandum eſt quòd in maniâ debet inſtitui balneum ad collum uſque, & dum ſedet æger in ſolio, debet irrigari totum caput, præcipuè vertex, aquâ balnei, ut ipſius ardor & effrænati ſpirituum motus poſſint coërceri. Non debet præſcribi balneum niſi præmiſſis univerſalibus, venæ ſectione nempè, cathartico, aliiſque remediis refrigerantibus & aperientibus, ſi opus ſit, ne à pravis ſuccis in ſanguine luxuriantibus humores magis exagitentur, & incandeſcant; maximè ſi ſint expediti, & in maximâ copiâ; à balneo enim liquantur, & occluſis ab aquâ cutis ſpiraculis retinentur; & quia volatiles ſunt, & ſale acri ſaturati, maſſæ ſanguineæ motum augent, & febrem accendunt: undè fit ut balneum non conveniat febribus continuis, licèt in his refrigerandi maximè ſit locus, quia ab

his impeditâ tranſpiratione, febris ardentior evaderet ; ob eamdem rationem raró ſuccedit balneum his, quibus ſanguis & viſcera ardent, & ſunt intemperata ; his autem accidit, ut ejus uſu febre continuâ, vel intermittente corripiantur. Hinc eſt quòd cautè admodum uſurpandum ſit balneum.

Balneum vel eſt integrum, vel ſemicupium : in priori totum corpus ad collum uſque immergitur in aquâ : verùm in ſemicupio ad cartilaginem uſque xiphoïdeam ; & ſi crura aut tibiæ ſint œdematoſæ, aut ulceratæ, extra ſolium poſitæ, linteis, vel panno teguntur.

Per uſum balnei vel juſculum refrigerans, vel ſerum lactis, vel cremor hordei præſcribuntur ægrotanti ; in ſolio ſedenti exhibentur ; ſed raró debent uſurpari cremores hordei in balneo, ob viſcidam & craſſam indolem, & ideò fermentum ſtomachale nimis inſpiſſando, aceſ-

eunt in ſtomacho, & cruditates producunt.

Formula Balnei ſit.

Utatur balneo aquæ fontanæ vel fluviatilis tepefactæ per xij. aut xv. dies manè, in quo manebit ſingulis vicibus per horam aut ſeſqui horam.

Aliquandò præſcribitur bis in die in melancholicis, atrabilariis, in ingenti hypochondriorum æſtu, in nephritide, in colico dolore, & præparatione ad hydrargirum; dum ſumitur juſculum, aut ſerum lactis, hoc modo præſcribitur.

Ingrediatur balneum aquæ dulcis tepefactæ per xij dies manè, in quo morabitur per ſemi-horam, in ſolio ſedens ſumat juſculum cichoreo, borragine, lactucâ, aliiſque refrigerantibus alteratum, vel cyathum ſeri lactis.

Semicupium uſurpatur dum pectus ægrotat, ut in phtiſicis, aſthmaticis, & tuſſiculoſis, qui balneum ferre non poſſunt, nam ab eo impe-

ditâ tranſpiratione , pulmones incandeſcunt & replentur, oppreſſione & tuſſi exacerbantur.

Convenit ſemicupium in colico dolore bilioſo , in iliacâ paſſione , nephritide, ſuppreſſione urinæ, tum renum vitio , tum veſicæ ; in iis affectibus ſatis eſt viſcera imi ventris & ſanguinem temperare, ejus impetum coërcere, & partium dolorem demulcere.

Sic præſcribitur balneum fluminis.

Utatur balneo fluminis per xij dies circa horam quartam veſpertinam, donec corpus frigore horreſcere incipiat.

Aliquandò præſcribitur balneum ex decocto herbarum emollientium & refrigerantium , ad emolliendum, & refrigerandum , ut in skirro hepatis , lienis , meſenterii , & uteri; & illud componitur ex radicibus , foliis , ſeminibus , floribus, & fructibus, eâ quantitate ut radices ad

℔ iv. coquantur, folia ad faſciculos iij. ſemina ad ℔ iij. fructus ad ℔ iv. flores ad m. vj. Sequenti modo componitur.

BALNEUM

Emolliens in hepatis & lienis skirro.

℞. Radicum altheæ & liliorum ana ℔ iij. foliorum malvæ, parietariæ, & brancæ urſinæ, ana faſciſcul. ß. ſeminum lini, fœnugræci in ſacculo incluſor. ana ℔ iß. amygdalarum dulcium excorticatarum, contuſarum, & in ſacculo incluſarum ℔ iij. coque omnia ſ. a. pro ſemicupio, quod ægrotans ingrediatur per viij. aut ix. dies manè, ſemel in die.

Raro præſcribimus hanc ſimplicium farraginem in ſemicupiis; ſed tantùm ex decocto radicum altheæ & foliorum malvæ, violarum, & parietariæ.

Frequentiſſimè etiam præſcribitur balneum emolliens in nephritide, & in colico dolore bilioſo, cum quintâ parte olei, ſed irrito ſuc-

ceſſu; nam oleum non poteſt ad partes internas penetrare ob craſſitiem & viſciditatem, ſed cuti adhæret, & tranſpirationem impedit: ſatius eſt uti ſolo balneo ex ſolâ aquâ dulci, quæ internas partes lenit, & dolorem magis temperat.

Aliquandò balneum paratur ex oxycrato in ingenti viſcerum ardore. Nonnulli præſcribunt id ex lacte, maximè mulieribus ad cuti dulcorem conciliandum, & ad pruritum moleſtum ſedandum. Aliqui ex ſanguine taurino ad ſcabiem, & elephantiaſim; ſed irrito prorsùs ſucceſſu: ſanguinis vis, ſi quâ polletad hosaffectus domandos, evaneſcit cum ejus parte volatiliore, ſtatim ac hic humor ex animalis venis eductus eſt.

Balneum & ſemicupium in genere conveniunt omnibus affectibus ab humore calido & acri genitis, in doloribus imi ventris, hæmorrhoïdum, & menſium erumpentium: quod ſæpè accidit puellis & mulie-

ribus obſtructione uteri laborantibus, quæ aliquot diebus ante menſium eruptionem dira tormina patiuntur, & tunc umbilico tenus immergendæ ſunt in balneum emolliens.

Non ſolùm aquæ dulcis, ſed etiam aquæ marinæ, & aquarum thermalium utimur balneo, quod valet ad arthritidem, & rheumatiſmum, poſtquàm dolores remiſere, & fluxio fuit ſedata; ad diſcutiendam materiam craſſiorem partibus impactam, & ad eam, quæ in venis ſtagnat, per ſudorem proliciendam. Si dolores plures artus occupent tum partium ſuperiorum, tum inferiorum, vel totum corporis habitum affligant, balneum integrum uſurpandum. Si verò dolores partem aliquam tantùm afficiant, ſemicupium tantùm præſcribendum, vel partis affectæ balneum, ut brachii, tibiæ, &c.

Quando viſcera & ſanguis admo-

dùm æſtuant, cautè utendum eſt balneo integro, ne magis incandeſcant humores; ſed particulare, vel ſemicupium conſulimus, ne corpus ſit nimis compreſſum, & ſero nimio diffluat; quo in caſu immittitur æger in balneum tepidum, potiùs quàm calidum, & in eo ſedenti exhibetur juſculum pulli gallinacei herbis refrigerantibus alteratum.

Balneum integrum ſic præſcribitur.

Utetur balneo aquarum Borbonenſium per viij. aut x. dies, ſemel aut bis in die, manè & veſperè horâ quartâ vel quintâ, & in eo morabitur donec ſudor à facie guttatim ſtillet, & rubor ingens in eâ appareat in egreſſu balnei ſudabit in lecto; & ſudor more aſſueto detergatur linteis calidis.

Non ſolùm balneum aquarum thermalium præſcribitur ad arthritidem & rheumatiſmum; ſed & ad tremorem, paralyſim, & ſtuporem

membrorum ; & ad omnes artuum languores ; ad ulcera inveterata, & ad partium contractionem.

Irrigatio capitis, quæ vulgò *Duchia* vocatur, convenit omnibus affectibus capitis tum externis, tum internis, præcipuè ab humore ſeroſo ortis. Convenit apoplexiæ poſt paroxyſmum, epilepſiæ, paralyſi, catharris, dentium doloribus, ſurditati, gravi auditui, corporis frigori moleſto, ophtalmiæ contumaci, & maculis oculorum ſtipatæ, epiphoræ, ſuffuſioni incipienti, guttæ ſerenæ recenti, tineæ, doloribus colli, & ſimilibus ; ſic præſcribitur.

Irrigetur caput aquis thermalibus per vj. aut viij. dies, ſemel aut bis in die per ſemiquadrantem horæ, circumcircà, & poſteà linteis calidis caput exſiccabitur.

Aquæ thermales proſunt etiam ad ulcerum ſordidiſſimorum exſiccationem lotione, & injectione : proſunt

quoque ad membra aliàs luxata, aut fracta, firmanda: dum in eas immerguntur per aliquot dies.

Non ſolùm irrigatio vulgò *Duchia* uſurpatur ad affectus capitis, ſed & aliarum partium, dum corpus ob nimium ſanguinis ardorem non poteſt ferre balneum; idcircò ſæpè irrigantur omoplatæ, dorſum, &c. doloribus affecta.

Sunt quædam aquæ minerales calidæ, in quibus ſudor prolicitur non ſolùm balneo, ſed etiam ſtuphâ, in quâ ſolo aquæ halitu totum corpus ſudore diffluit; in exitu balnei ſolet uſurpari ſtupha. Talis ſtupha ſeu ſudatorium reperitur in vico *Bagnols* apud Gabalos.

Sunt ſudatoria ſicca in vico quodam nomine *Cranſac*, in quibus ſudor excitatur à calore terræ ob mineram carbonis petræ ſubterraneam conflagrantis, quæ non conveniunt corporibus macilentis, temperamento calido, quia nimis accendunt humores.

Balneum

Balneum aquarum acidularum vix præſcribitur ; ſunt tamen quædam apud *Gebennas* dictæ *de la Fontange* propè vicum *Guiſſac* , quæ in uſu ſunt pro balneo ad ſcabiem curandam.

Utimur quoque, ad membra arida & contracta humectanda & emollienda, balneo aquæ præparationis ceræ , & ſæpè felici cum ſucceſſu , modò pars in aquam calidiuſculam , in quâ cera liquata fuerit , antequàm ſoli dealbanda exponatur , immergatur per novem aut decem dies , ſemel aut bis in die , prout affectus fuerit recens aut inveteratus ; vere , æſtate , aut autumni principio uſurpatur ; ſed frequentiùs vere.

Sunt etiam in uſu autumno vinacia ad reliquias rheumatiſmi , arthritidis , & aliarum fluxionum artus occupantium reſolvendas ; ad ſtuporem , & ad quamcumque imbecillitatem : nunquam caput, nec col-

lum, nec pectus, nec abdomen debet in vinacia immitti, ne ſanguis & viſcera incandeſcant.

[In iiſdem caſibus ſicut vinacia quæ ſunt uſurpanda, dum adhuc fermentatione calent, adhibetur fæx adhuc tepens olivarum prelo ſuppoſitarum.]

CAPUT II

DE FOTU.

[*Fotus eſt medicamentum liquidum, ad varias corporis partes pro variâ intentione tepidè fovendas.*]

PAratur fotus præcipuè ad affectus imi ventris, ad viſcera indurata emollienda, ad eorum æſtus temperandos, ad menſes movendos, & aliquandò ad partum juvandum in nimiâ tenſione.

Fotus componitur ex decoctis, vel ex aquis ſtillatitiis. Fotus ex de-

coćto eadem admittit ingredientia ac apozema. In fotu adnotamus liquorem, & diſſolvenda, quæ pro ratione virium variâ doſi adduntur, ſed ut plurimùm diſſolvuntur ad penetrationem liquoris ad uncias quatuor.

* Fotus ut ſpecies ſemicupii particularis haberi debet, quod uſurpari poteſt omnibus anni temporibus, in quibus inſtitui nequeunt nec balneum, nec ſemicupium. Feliciter utimur fotu in paſſione hypochondriacâ, ad æſtum viſcerum temperandum & in fine dyſenteriæ. Feliciter & quoque uſurpatur in conſtipatione, ut libera fiat alvus; & ſæpè in hoc morbo feliciùs ſuccedit, quàm alia remedia, quod non ſemel fuimus experti. *

FOTUS

Emolliens, laxans & refrigerans ad viſcerum obſtructiones, duritiem, & ardorem.

℞. Radicum altheæ & lapathi acuti ana ℥iv. foliorum borraginis, malvæ, violarum, & lactucæ ana m.ij. ſeminis lini ℥i. florum chamæmeli, meliloti ana p. ij. coque in aquæ fontanæ ℔ iij. in colaturâ diſſolve aceti optimi ℥iij. fiat fotus, quo foveatur abdomen, & præcipuè regio hypochondriaca tepidè cum linteis eo imbutis, leviterque expreſſis.

In lecto ægrotans foveri debet, & præſertim hieme, ne frigore aëris externi afficiatur, & rheumatiſmus, catharrus, aut alia quædam fluxio ſuperveniat.

FOTUS

Magis emolliens in skirro viſcerum imi ventris.

℞. Radicum liliorum & althææ ana ℥iij.

radicis bryoniæ ℥ij. foliorum malvæ, brancæ urſinæ, violarum, acetoſæ, ana m. ij. ſeminum lini & fœnugræci ana ℥i. florum chamæmeli, meliloti ana p. ij. coq. ad ℔ iij. in colaturâ diſſolve aceti optimi ℥iv. fiat fotus.

FOTUS

Refrigerans in viſcerum ardoribus, & paroxyſmo febris.

℞. Foliorum acetoſæ, borraginis, lactucæ, & cichorei ana m. ij. florum papaveris rhæados, & nymphææ ana m. j. coque ad ℔ iij. in colaturâ diſſolve optimi aceti ℥iv. fiat fotus.

Aliquando fotus refrigerantes fiunt ex ſolo oxycrato. In priapiſmo fovetur penis aquâ gelidâ, aut oxycrato, in quo parùm ſalis Saturni diſſolutum fuerit. Olim ſantalum citrinum præſcribebatur ad unciam unam in omnibus fotibus ad viſcera roboranda; ſed irrito ſucceſſu, ideò debet negligi.

FOTUS

Ex aquis ſtillatitiis refrigerans in ingenti viſcerum ardore.

℞. Aquarum cichorei & bugloſſi ana ℔ iß. oxycrati optimi ℥iv. miſce, fiat fotus.

Præſcribuntur etiam fotus particulares ad reſolvendos humores alicui parti impactos, ſæpiſſimè ad crura œdematoſa hydrope laborantium: ex decocto ſequenti parantur.

FOTUS

Reſolvens in œdemate tibiarum.

℞. Radicum galangæ & ireos florentinæ ana ℥ij. foliorum menthæ, ſalviæ, majoranæ, & ſcordii ana m. ij. ſeminum aniſi, & fœniculi ana ʒv. florum anthos & ſtæchados ana m. ß. coque in aquâ fontanâ, & aliquandò in vino generoſo ad ℔ iij. colentur: hoc decocto fove tibias & crura œdematoſa tepidè bis aut ter in die.

Utimur ſæpè fotu ex aquâ vitæ

camphoratâ ad œdematoſas tibias, imminente præſertim gangrænâ, & non ſolùm foventur, ſed etiam lintea eâ imbuta ipſis imponuntur.

FOTUS AD HYDROCELEM.

℞. Foliorum menthæ, origani, calaminthæ & ſalviæ ana m. ß. coque ad ℔ iij. in vino, in colaturâ diſſolve ſpiritûs vini ʒx. Hoc decocto foveantur teſticuli.

FOTUS AD PERNIONES.

℞. Foliorum raphani ſilveſtris, & ciclaminis ana m. iv. florum chamæmeli & meliloti ana m. j. coque in vini generoſi ℔ iij. in colaturâ diſſolve ſalis ammoniaci ℥ß. fiat fotus.

* Curantur perniones fotu ſpiritûs vini, modò ut exulcerati non ſint; nam debentur lymphæ inſpiſſatæ & hærenti à nitro aërio craſſiori, quæ ſanguinis hærentiæ anſam præbet, & pertinaces fluxiones non raró accerſit, præſertim in calcaneis, ubi perniones majore ſtipantur dolore. *

[Reſolvuntur & quoque perniones eos fovendo aquâ vitæ ſolâ, vel permixtâ cum ſpiritu ſalis ammoniaci, vel eos fovendo urinâ calore naturali adhuc tepente, vel decocto raparum, aut naporum ſolo, aut granis aliquot ſalis ammoniaci acuato; vel lixiviâ ex cineribus ſarmentorum paratâ.]

FOTUS

Ad Enterocelem.

℞. Radicum altheæ & liliorum ana ℥iv. florum malvæ, acetoſæ ana m. ij. ſeminis lini ℥ij. ſeminum aniſi & fœniculi ana ʒij. florum chamæmeli, & meliloti ana m. j. coq. ad ℔ iij. cola, & hoc decocto pars ſæpè foveatur in die.

FOTUS

Ad fluxionem in teſticulum à gonorrhææ virulentæ ſuppreſſione.

℞. Radicum ireos florentinæ, & liliorum ana ℥ij. florum chamæmeli, &

meliloti ana m. j. coque ad ℔ iij. in vino generoſo, & coletur decoctum.

Hoc decocto non ſolùm foveantur ſæpè in die teſticuli, ſed & quoque debent in illud immergi per horam in vaſe vitreo cucurbitulis ſimili.

FOTUS

Ad hæmorrhoïdes.

℞. Foliorum malvæ & verbaſci ana m. iij coque in aquæ fontanæ ℔ iij. Hoc utatur decocto ad hæmorrhoïdes fovendas, aut pro inceſſu.

CAPUT III.

DE EPITHEMATE.

EPithema eſt ſpecies medicamenti formâ liquidâ parati (*r*) ad cor, ad jecur refrigerandum, & robo-

(*r*) Epithema non ſolùm formâ liquidâ paratur, ſed etiam formâ ſolidâ, undè duplex ſpecies epithematis; liquidum nempè, & ſolidum.

randum, & ad venenum impugnandum in peſte, febribus malignis, &c. Sed hæc medicamenti formula hodiè raró uſurpatur, nullum enim robur à medicamento exteriùs uſurpato cordi & jecori conciliari poteſt: attamen aliquoties præſcribimus ad refrigerandum ſanguinem in jecore contentum, vel ad intendendum ſanguinis motum in pulſu remiſſo, & ſyncope.

Componitur Epithema liquidum ex aquis ſtillatitiis, raró ex decocto; pulveribus, & confectionibus. Liquoris quantitas non debet excedere ℔ i. vel ℔ iß. Confectiones præſcribuntur ad ℥i. pulveres à ʒij. ad ℥ß.

EPITHEMA

Refrigerans pro Hepate æſtuante.

℞. Aquarum cichorei & portulacæ ana ℔ ß. ſalis prunellæ ʒiij. miſce, fiat epithema, quo foveatur regio hepatis ſæpè in die, cum linteis imbutis, ac dein leviter expreſſis, ſæpè iterando.

EPITHEMA ROBORANS.

℞. Aquarum bugloſſi & cichorei ana ℥x. confectionis de hyacintho ℥ß. pulvis electuarii trium ſantalorum ʒiij. miſce, fiat epithema, quo foveatur regio hepatis.

EPITHEMA
Magis roborans in febribus malignis.

℞. Aquarum portulacæ & roſarum ana ℥x. confectionis de hyacintho, & alkermes ana ℥ß. pulveris electuarii diamargariti frigidi ℥ß. miſce; fiat epithema quo foveatur regio cordis.

[Epithema ſolidum paratur ex conſervis, confectionibus, pulveribus, & ſuccis. Ad parandum epithema ſolidum, conſervæ præſcribuntur ad ℥iij. confectiones ad ʒij. pulveres ad ʒi. ſucci ad quantitatem ſufficientem.

Epithema ſolidum, poſt uſum epithematis liquidi, ſolet admoveri, ſed ejus uſus hodiè penitùs obſolevit, quamquàm ad epithematha ſolida referri poſſint juniora animalia per

medium ſecta quæ capiti raſo, cordis regioni, & abdomini nonnumquàm admoventur: attamen ſi ea præſcribere lubet, ſub conſimili formulâ parari poſſunt.

EPITHEMA

Solidum ad vires reſtaurandas.

℞. Conſervarum bugloſſi & roſarum ana ℥iß, confectionis alkermes & de hyacintho ana ʒi. pulveris viperæ ʒi. cum ſ. q. ſucci granorum kermes fiat epithema ſolidum admovendum cordis regioni.]

CAPUT IV.

DE COLLYRIIS.

Collyria ſunt medicamenta oculorum affectibus dicata, quæ viſum roborant, inflammationem & fluxionem arcent, delent maculas, humores ſeroſos exhauriunt, lippitudinem tollunt, pus detergunt, ſtaphylomati & ſuffuſioni ſuccurrunt.

Collyria ſicca *ſief* dicta raro uſurpantur, niſi in aquâ convenienti diſſoluta, & ſic ad humida reducuntur: aliquandò tamen uſurpantur collyria ſicca ad uveam perforatam, in ſtaphylomate ad procidentiam uveæ reducendam, ex pulveribus tuthiæ præparatæ, & in alkool redactæ, & in oculos inſufflatæ. Miras autem habet dotes pulvis tuthiæ ad aſtringendas partes laxatas, & ſero nimis imbutas; valet quoque ad inflammationem coercendam. Parantur quoque collyria ſicca ad maculas diſcutiendas ex ſaccharo cryſtallino, ex ſtercore lacertæ, & oſſe ſœpiæ in pulverem redactis, & in oculum inſufflatis; ſed ferè ſemper irrito ſucceſſu, quia oculi ſenſu exquiſito donati vix tales pulveres ferre poſſunt. Præſcribuntur tamen ad drachmas duas, vel ad unciam ſemiſſem ſubſequenti modo.

COLLYRIUM SICCUM

Ad maculas diſcutiendas.

℞. Sacchari chryſtallini ʒij. vel ℥ß. ſterco is lacertæ ʒi. oſſis ſcœpiæ ʒß. fiat omnium pulvis tenuiſſimus, in alkoolque redactus, qui tubulo plumeo in oculum inſuffletur.

Humida collyria vel ſunt liquida, vel mollia, linimenti aut unguenti formâ. Humida in genere parantur ex aquis ſtillatitiis, ſuccis herbarum aliquandò decoctis, pulveribus, & mucilaginibus.

Tota collyrii quantitas non debet excedere uncias octo, vel libram unam ad ſummum. Pulverum verò doſis varia eſt prout fortiores vel mitiores ſunt, vix tamen excedit drachmas duas: mucilagines verò vel ſolæ uſurpantur, vel miſcentur aquis ſtillatitiis æquâ doſi.

Mollia collyria parantur cum butyro & tuthiâ præparatâ, eorum quantitas non debet excedere uncias

tres, aut quatuor; eâ proportione ut admiſceantur tres partes butyri cum unâ tuthiæ præparatæ, hoc ſequenti modo.

COLLYRIUM MOLLE
Oculis Lacrymantibus conveniens.

℞. Butyri recentis ℥ij. tuthiæ ritè præparatæ ℥ß. miſce; fiat collyrium hora ſomni applicandum.

COLLYRIUM LIQUIDUM
Ad oculorum inflammationem, & fluxionem.

℞. aquarum plantaginis & roſarum ana ℥iij. tuthiæ præparatæ ʒß. vitrioli albi gr. xv. miſce; fiat collyrium, quo foveantur oculi tepidè ter aut quater in die.

ALIUD.

℞. Aquarum roſarum & plantaginis ana ℥iij ſacchari Saturni ℈ij. miſce; fiat collyrium.

ALIUD.
Præcipuè ad inflammationem oculorum poſt ictum.

℞. Albumen ovi, aquæ roſarum ℥iij.

agitentur diù ſcopulis, adde pulveris aluminis rupei ʒß. fiat collyrium oculis applicandum.

[In omni oculorum inflammatione æſtu ſummo ſtipatâ, multùm prodeſt hoc collyrium: præſertim ſi ei non addatur pulvis aluminis ſubſequens; conducit ad coercendas inflammationes incipientes, & eas reſolvendas, modò ut ſummo non ſtipentur dolore.

℞. Albumen ovi coctione induratum, contunde in mortario marmoreo, & cum piſtillo dilue in aquæ plantaginis & roſarum ℥vj. poſteà trans linteum textûs compacti cum forti expreſſione trajice, & colaturæ adde vitrioli albi gr. x. fiat collyrium.

Hoc collyrio debent bis aut ter in die foveri oculi; quâlibet vice guttæ aliquot in eos ſunt inſtillandæ. Multùm confert hoc collyrium ad coercendam limborum palpebrarum inflammationem. Inſuper ſi hoc collyrium nimiam oculis inferat irrita-

tionem, obtundenda eſt ejus actio, ei addendo cochlearia aliquot aquæ roſarum; verùm ſi nullam aut ferè nullam irritationem inferat, adaugenda eſt doſis vitrioli albi.]

COLLYRIUM

Ad viſum roborandum.

℞. Aquarum euphraſiæ & fœniculi ana ℥iv. ſacchari cryſtalliſati ℥ß. miſce; fiat collyrium.

COLLYRIUM

Ad maculas delendas præcipuè à variolis relictas.

℞. Aquæ vitæ ℥i. ſucci calcitrapæ ℥iij. miſce; fiat collyrium.

[Albugines ſeu maculæ dum cicatrici debentur, numquàm diſcutiuntur, comminuuntur tantùm uſu diuturno variorum collyriorum; ſed eæ, quæ à ſpiſſatione & concretione lymphæ originem ducunt, non raró delentur variis collyriis. Ad eas itaque penitùs diſcutiendas non ſolùm

adhibetur collyrium ſuperiùs deſcriptum, ſed etiam adhibetur vinum emeticum, vel ſolum, aut temperatum aquâ roſarum, aut inſufflantur in oculum pulvis tuthiæ ritè præparatæ, vel ſtercora lacertorum pulverata, vel pulvis ſacchari candi. Ad hunc quoque finem parantur varia collyria cum ſuccis & pulveribus ophtalmicis, ſub conſimili formulâ.

℞. Succi depurati fœniculi ℥iij. vitrioli albi gr. viij. trochiſcorum mirrhæ ℈ij. ſacchari candi ʒi. miſce; fiat collyrium cujus guttæ aliquot in oculum bis aut ter tepidè ſunt inſtillandæ.]

COLLYRIUM

Ad ſeroſos humores diſſipandos.

℞. Aquæ fœniculi ℥viij. in quibus infunde caryophyllorum ʒi. colaturâ utatur, ut dictum eſt.

COLLYRIUM

Ad lippitudinem ex decocto.

℞. Antimonii crudi craſſiuſculè triti & in nodulo ſuſpenſi ℥iij. infunde in

aquæ fontanæ ℔ iß. ſuper cineres calidos per horas duas:dein coque ad tertiæ partis conſumptionem , & ſub finem coctionis adde radicis ireos Florentinæ ℥ß. florum anthos & roſarum ana m. ß.in colaturâ diſſolve ſacchari cryſtalliſati ℥i. fiat collyrium.

COLLYRIUM

Ad pus detergendum.

Fauſtè utimur præcedenti collyrio, ſicut & etiam ſequenti.

℞. Aquarum plantaginis & fœniculi ana ℥iv. tuthiæ præparatæ ʒiß. aloës optimæ ʒß. miſce ; fiat collyrium.

Sequens collyrium maximè prodeſt ad pus detergendum , diluendum , & eluendum in ſuppuratione palpebrarum , & ad ulcus corneæ ſanandum.

℞. Seminum lini & fœnugræci ana ʒij. florum malvæ, chamæmeli & meliloti ana p. i. coq. ad ℥x. hoc decocto foveantur oculi ſæpè in die.

COLLYRIUM

Ad Staphyloma.

℞. Aquarum plantaginis & roſarum ana ℥iv. tuthiæ præparatæ ʒiß. ſalis Saturni ℈ij. miſce; fiat collyrium ad uſum.

In uſum quoque venit collyrium ex decocto ad ulcus corneæ detergendum, & impediendum ne hæc tunica omninò perforetur, & uvea promineat; ideòque ab eo præcavetur ſtaphyloma; paratur ſequenti modo.

℞. Foliorum plantaginis & agrimoniæ ana m.j. radicis ireos Florentinæ ʒiij. roſarum rubrarum p. ij. coque in aquæ fontanæ ad tertiæ partis conſumptionem; in colaturâ diſſolve ſacchari cryſtalliſati ʒiij. fiat collyrium.

COLLYRIUM

Ad Suffuſionem.

℞. Aquarum fœniculi & euphraſiæ ana ℥iij. croci metallorum ʒi. miſce; fiat collyrium.

Vinum emeticum idem præſtat ac jam traditum collyrium.

[In hoc morbo multùm etiam conducit ſequens collyrium, cujus guttæ aliquot pluries in die tepidè ſunt inſtillandæ.

℞. Foliorum rutæ hortenſis minutim conciſæ m. j. radicis valerianæ ſilveſtris craſſiuſculè tritæ ℥i. infunde frigidè in vini albi ℥xij. ut fiat collyrium ad uſum.]

COLLYRIUM

In inflammatione palpebrarum præcipuè à variolis.

℞. Mucilaginis ſeminum pſyllii & cydoniorum in aquâ roſarum extractæ ℥viij. decocti florum chamæmeli & meliloti ℥iij. miſce; fiat collyrium quo imbuuntur lintea oculis tepidè applicanda.

Hoc collyrium miros præſtat effectus ad corpora acuta in oculos introducta, eoſque irritantia involvenda, & ad dolorem ſedandum. Idem præſtat lac, & pulpa pomi

cocti ſub formâ cataplaſmatis, &
albumina ovorum in aquâ roſarum
exagitata cum alumine rupeo.

CAPUT V.

DE PSILOTHRIS.

PSilothrum eſt medicamentum formâ linimenti, quo partes pilis denudantur. Paratur pſilothrum ex his quæ habent vim urentem; tale eſt ſequens.

PSILOTHRUM

Seu depilatorium.

℞. Calcis vivæ ℥ij. auripigmenti ℥ß. coque in lixiviæ fortis ℔ iß. donec pluma immiſſa depiletur; tunc fiat lenimentum, quo partes piloſæ inungantur; dein abſtergatur locus, & aquâ calidâ lavetur.

* Hoc depilatorium ad manus depilandas amygdalarum paſtæ permiſceri poteſt, ut minori corroſivâ virtute donetur. *

CAPUT VI.

DE SUFFITU.

[*Suffitus eſt medicamentum formâ ſiccum, vel humidum, cujus particulæ tenuiſſimæ ignis vel caloris vi disjunctæ, & ſub formâ nubeculæ elevatæ pluribus ſuccurrunt affectibus.*]

SUffitus parantur vel ad voluptatem, & ornatum; vel ad ſanitatem. Suffitus ad voluptatem componuntur ex fragrantibus, ut benſoïno, caryophyllis, cinnamomo, ſtyrace &c. ſed hi ſuffitus ad coſmeticum potiùs quàm ad therapeuticum pertinent.

[Suffitus ad ſanitatem vel ſicci, vel humidi ſunt. Suffitus ſicci componuntur ex pulveribus variorum medicamentorum, vel ſimplicibus, vel in trochiſcos ope mucilaginum concinnatis, qui ſuper prunas injecti fumum exhalant ſuffitum ſiccum dictum.

Suffitus verò humidi ſunt vapores exhalantes, vel ex liquore quodam ſupra candentem laterem, vel ſilicem affuſo; vel ex variis ſimplicium decoctis caloris vi.]

Fiunt ad ſanitatem ſuffitus, vel ad menſes movendos, & uterum frigidum, & imbellem calefaciendum; vel ad reſolvendos tumores œdematoſos, aut ſκirroſos; vel ad ptialiſmum excitandum; vel ad ſudores promovendos, &c.

SUFFITUS

Ad menſes movendos & roborandos.

℞. Myrrhæ & thuris maris ana ℥ß. ariſtolochiæ rotundæ ʒiij. fiat omnium pulvis, qui excipiatur mucilagine gummi tragacanthi, & formentur trochiſci, quorum unus aut duo prunis injiciantur, & fumus infundibulo excipiatur immiſſo ejus tubulo in vulvam.

Uſurpatur fumus aquarum thermalium à mulieribus, quæ menſibus

ſuppreſſis

ſuppreſſis laborant, aut quæ non facile concipiunt ob nimiam uteri humiditatem, eoque juvantur, ſed cavendum ne ab hoc ſuffitu humores & uterus accendantur, & graviora mala accerſantur; ideò raró uſurpandus, niſi in mulieribus admodùm frigidis, pituitoſis, & obeſis.

Suffitus ad ptialiſmum movendum fit ex cinnabaris pulveratæ ℥ß. cujus portio aliqua per vices in igniarium ſuppoſitum, carbone accenſo, injicitur, & fumus ab ægrotante in cathedrâ ſedente excipitur, toto corpore collum uſque ſtragulis cooperto.

Suffitus ad ptialiſmum movendum, non eſt hodiè in uſu ad luem veneream; nam præſtat hydrargyroſis.

Valet ſuffitus ex cinnabare ad tumores teſtium duros diſſipandos, qui à gonorrhæâ ſuppreſſâ producuntur, & fumus recipitur tantùm à teſtibus in ſellâ perforatâ.

Sudor provocatur lue venereâ laboranti vapore ſpiritûs vini flagrantis,

vel intra cathedram ad hunc uſum conſtructam, vel in aliis machinis ad eumdem uſum deſtinatis: illo vapore & fumo brevi totum corpus ſudore difluit, & indè ad lectum defertur, ubi ſudor detergitur; & unâ horâ à ſudore exhibetur juſculum herbis refrigerantibus alteratum.

Suffitus ex ſpiritu vini olim erat in uſu ad luis venereæ curationem; ſed non hodiè, quia humores virulenti ab eo nimis exſiccantur, & difficiliùs ab hydrargiroſi deindè reſolvuntur, & per ptialiſmum rejiciuntur: debent potiùs balneo humectante & refrigerante diſponi, quam exſiccatione & ſudoribus.

Valet ſudor ex vapore aquæ vitæ excitatus ad rheumatiſmum, & paralyſim, ad arthritidem inveteratam, in corporibus obeſis & humidis, non in macilentis; & etiam ad crura œdematoſa, modò ab hydrope non intumeſcant. Poteſt etiam excitari ſudor ad umdem finem ex fumo de-

cocti herbarum calidarum betonicæ, ſalviæ, majoranæ, thymi, calaminthæ, origani, ſambuci, ſcordii, menthæ, roris marini, &c.

[*SUFFITUS*

Ad skirros reſolvendos.

℞. Maſtiches & ſuccini pulveratorum ana ℥ß. per vices ſuper prunas projiciantur, & eorum fumus ad partem skirro correptam bis in die ducatur.

Ad reſolvendos skirros multùm confert hic ſuffitus, qui ex ſolo ſuccini pulvere parari poteſt ad eumdem effectum præſtandum. Ad eorum etiam reſolutionem promovendam adhiberi poteſt ſuffitus humidus, ſeu vapor ſubſequens, aut conſimilis.

℞. Radicum ariſtolochiæ rotundæ, brioniæ, & cucumeris aſinini ana ℥i. foliorum violarum, malvæ, ſcrophulariæ majoris, & brancæ urſinæ ana m. j. florum chamæmeli, & meliloti ana m. ß. ſeminum pſyllii & cumini ana p. ij. bulliant in aquæ

fontanæ ℔ vj. ad tertiæ partis conſumptionem, deinde ab eo decocto bulliente vapor exhalans excipiatur uti decet, & ducatur ad partem ſkirro correptam pluries in die relictis in decocto radicibus, foliis, ſeminibus, ac floribus.

SUFFITUS HUMIDUS

Ad ſedandos hæmorrhoïdum dolores.

℞. Foliorum verbaſci, malvæ, & violarum ana m. j. ſeminum lini & cydoniorum ana p. ij. coque in aquæ fontanæ ſ. q. & dein vapor ex perforato ſedili ano excipiatur.

Hic ſuffitus aut conſimilis non raró in teneſmo felices obtinet ſucceſſus.]

CAPUT VII.

DE CATAPLASMATIBUS, ET PULTIBUS.

CATAPLASMA eſt medicamentum topicum, molle, pultis ferè conſiſtentiam æquans, quod

præſcribitur ad emolliendum, ad laxandum, & pus movendum; ad calefaciendum, & digerendum, ad dolores ſedandos, ad repellendum, & aſtringendum.

Componuntur cataplaſmata ex radicibus, foliis, ſeminibus, fructibus, floribus, mucilaginibus, farinis, oleis, axungiis, aliiſque ejuſmodi. Ejus doſis non debet excedere ad plurimum libram unam: radices, folia & alia ejuſmodi debent coqui ad putrilaginem, & præſcribuntur prout in apozemate ab ℥i. ad ℥ii. olea ad ℥ij. vel ℥iij. ut plurimum; axungiæ ad ℥ij. & pulveres, ſi addantur, ad ℥i.

CATAPLASMA

Emolliens, laxans, & pus promovens in phlegmone, & aliis tumoribus ad ſuppurationem vergentibus.

℞. Radicum althææ & liliorum ana ℥iij. foliorum malvæ, violarum & brancæ urſinæ ana m. iß. florum cha-

meneli, & meliloti ana m ß. coque in ſ q. aquæ fontanæ, dein piſtentur, & per ſetaceum trajiciantur: pulpæ trajectæ adde farinæ ſeminis lini ℥i. olei liliorum q. ſ. fiat cataplaſma parti applicandum, bis aut ter in die renovandum.

Vel

[℞. Foliorum acetoſæ, malvæ, & parietariæ ana m. j. coque in ſ. q. aquæ fontanæ: deindè contundantur, & trajiciantur per ſetaceum; pulpæ trajectæ poſteà adde radicis liliorum ſub cineribus ad putrilaginem coctæ ℥iij. fermenti veteris ℥ij. unguenti baſilici ſeu ſuppurativi ab ℥i. ad ℥ij. fiat cataplaſma parti affectæ applicandum, & bis in die renovandum.]

CATAPLASMA

Diſcutiens & reſolvens in teſticulorum tumoribus, in oedemate, & aliis tumoribus à ſero ſanguinis ortis.

℞. Farinæ fabarum ℔ i. coque in oximelle, fiat cataplaſma parti applicandum.

Fit ſæpè cataplaſma ex reſidentiâ fotûs ſub iſtâ formulâ.

℞. Reſiduum prædicti decocti contunde in mortario marmoreo, & per ſetaceum trajice: adde dein pulpæ trajectæ farinæ ſeminis lini ℥i. vel ℥iß. olei liliorum q. ſ. fiat cataplaſma.

Hujuſmodi cataplaſmata præſcribuntur ſæpiſſimè, ubi pro aliquâ parte induratâ fotus inſtituitur, vel loco ſuo dimotâ, atque prolapsâ, ut in inteſtinorum prolapſu in ſcrotum.

[Ad diſcutiendos, & reſolvendos teſticulorum tumores œdematoſos, aut inflammatorios multùm etiam laudatur ea terræ cimoliæ ſpecies, quæ infra cotem cultrariorum colligitur, & quæ priùs calefacta ſub formâ cataplaſmatis eſt admovenda; verùm nunquam eſt admovenda teſtibus inflammatis, niſi priùs venæ ſectionibus, cataplaſmatibus emollientibus, & aliis auxiliis pacata ac imminuta fuerint inflammationis ſymptomata, alioquin ejus applica-

tione vel ingraveſceret teſticulorum inflammatio, vel pejori exitu terminaretur.]

Fiunt cataplaſmata ad demulcendum dolorem, è lacte, micâ panis, vitellis ovorum, & oleo; aliquandò crocus additur ad paululùm reſolvendum.

CATAPLASMA

De micâ panis dolores leniens.

℞. Micæ panis albiſſimi ℥iv. lactis ℥viij. vel x. vitellos ovorum n°. ij. cum oleo roſarum fiat cataplaſma; & ſi opus ſit aliquâ reſolutione, crocus addatur ad ʒß. in lacte permixtus.

Ubi dolores graviores ſunt, additur prædicto cataplaſmati tertia pars pulpæ hyoſciami ſub cineribus cocti, & per ſetaceum trajecti. Aliquandò hyoſciamus ſolus, & per ſetaceum trajectus cum oleo roſarum, vel cum butyro facit cataplaſma, hoc modo.

℞. Foliorum hyoſciami m. iv. coque, contunde, & per ſetaceum trajice;

pulpæ trajectæ adde olĕi roſati vel butyri q. ſ. fiat cataplaſma.

CATAPLASMA ASTRINGENS

In prolapſu inteſtinorum Exomphalos *dicto.*

℞. Radicum ſymphiti majoris & biſtortæ ana ℥ij. foliorum burſæ paſtoris m. iij. roſarum rubrarum m. j. coque, & per ſetaceum trajice: pulpæ trajectæ adde pulveris roſarum rubrarum ℥i. fiat cataplaſma.

Hoc cataplaſma non debet applicari, niſi priùs inteſtinu m fuerit reductum.

CATAPLASMA RESOLVENS

In Oedemate & iſchiatico dolore.

℞. Mellis optimi ℔ i. inſpergatür leviter calce vivâ: fiat cataplaſma, parti affectæ admovendum.

[Ad reſolvendum œdema, tumoreſque œdematoſos diſcutiendos, præparantur etiam cataplaſmata vel cum ſimplicibus aromaticis, ut ſunt

thymus, majorana, laurus, lavendula, ſerpillum, roſmarinus &c; vel cum ſimplicibus ſimpliciter reſolventibus, ut ſunt ſcrophularia major, abſinthium minus, centaurium minus, chamædris, ſcordium, ſambucus, flores chamæmeli, & meliloti,&c. quæ incoquuntur in vino rubro generoſo, & nonnumquam in aquâ fabrorum.

Ad id itaque opus præſtandum oedemati, aut tumori œdematoſo admoveri poteſt ſub cataplaſmatis formâ fex adhuc calida, quæ in alembico remanet poſt diſtilationem aquæ vulnerariæ, aut aquæ Reginæ Hungariæ, lavendulæ, aut aliarum aquarum ſpirituoſarum.

Convenit etiam plurimum œdemati cataplaſma ſubſequens.

℞. Quatuor farinarum reſolventium ℔ ß. coquantur in vino rubro generoſo; fiat cataplaſma parti affectæ admovendum.

Præſtat quoque ad reſolvendum

œdema, exſiccandumque, lutum aquarum thermalium. In hâcce regione ad eum præſtandum effectum non rarò adhibetur lutum aquarum Bellilucanarum. Ad eumdem finem in arenam marinam ſive igne, ſive radiis ſolaribus calefactam immittitur pars œdemate aut tumore œdematoſo correpta.

Not. Arenam marinam radiis ſolaribus præſertim calefactam multum laudari, cum ſucceſſu quoque adhiberi ad reſolvendos ſkirros mammarum incipientes.]

Ad cataplaſmata revocantur pultes quæ fiunt ex farinâ hordei, vitellis ovorum, & mucilagine ſeminis lini, hoc modo.

℞. Farinæ hordei ℔ ß. vitellos ovorum n°. ij. cum mucilagine ſeminis lini fiat puls parti admovenda, & ſæpè renovanda.

Præſcribuntur pultes ad leniendum, & concoquendum in tumoribus.

CAPUT VIII.

DE POMATA.

POmata eſt ſpecies medicamenti, unguenti conſiſtentiam æmulantis. Paratur ad nitorem faciei conciliandum, ad herpetes, ad ſcabiem, ad fiſſuras mammarum, ad narium cruſtas. Componitur ex oleis ſuavioribus, & quartâ parte ceræ, vel ſæpiùs axungiæ ſuillæ non ſalitæ, & ex pulveribus; eâ proportione ut pro unciâ unâ axungiæ ſint pulveris drachma una, vel duæ: vel componitur ex adipe omenti hœdi, ſtyrace, benzoïno, aliiſque: aut miſcetur ſpermatis ceti quinta aut ſexta pars, & pro divitibus margaritæ præparatæ ad emdem doſim. Fit etiam pomata ex oleo nucis myrepſicæ vulgò *Behen* in mortario marmoreo diù agitato.

POMATA

Ad herpetes faciei furfuraceos delendos, & ad nitorem.

℞. Olei de vitellis ovorum ℥vj. ceræ albæ ℥i. liquata priùs cera, miſceatur cum oleo, dein in vaſe vitreo cum ſuo operculo exponatur ſolis radiis, ſuper affuſâ aquâ ad eminentiam ſemidigiti, & ſic relinquatur per xv. aut xx. dies, donec perfectè dealbetur, aquâ ſingulis diebus renovatâ.

Valet hæc pomata ad variolarum maculas delendas, modò puſtulis maturis & forcipe apertis admoveatur; aliquandò ſolo oleo vitellorum ovorum utimur ad eumdem ſcopum, quod magnum præſtat effectum, & impedit ne pus variolarum cutem lituris fœdis & turpibus, ac profundis ſulcis defœdet: præthereà materiam purulentam evacuando, ſpiſſæ & ingentes cruſtæ non gignuntur, & ideò apertiora ſunt cutis ſpiracula, faciliorque datur exitus halitibus

perſpirationis, à quo pendet ægrotantium ſalus. In aliis partibus, ut pede, præcipuè intra digitos, butyro recenti utimur, ut impediatur digitorum coalitus, & pruritus ſummus demulceatur, qui ſæpiùs inquietos reddit ægrotantes, & febrem accendit.

Mulieres ad faciem dealbandam utuntur oleo nucis myrepſicæ in mortario diù agitato, & dealbato; ſed ei addunt margaritas præparatas, quas vocant *album perlarum*, quod faciei nitorem non alterat, ut album hiſpanicum, quod dentes & gingivas rodit, faciem rugoſam reddit, & aliquandò tremorem inducit. Sunt quædam mulieres, quæ cutem habent ſiccam, & ſquamis furfuraceis quaſi aſperam, cui incommodo medetur oleum myrepſicum, quo illinitur facies eundo cubitum, præſertim ſæviente frigore.

POMATA AD HERPETES.

℞. Pomatæ jaſmini ℥ij. præcipitati albi mercurii ʒij. miſce; fiat pomata, quâ illiniatur pars affecta horâ ſomni per vj. dies.

Huic pomatæ ſi non cedant herpetes, alia ex præcipitato rubro mercurii eâdem doſi parabitur; & ſi fortior deſideretur, præſcribitur præcipitatum rubrum exſiccatum, & non calcinatum.

POMATA AD SCABIEM.

℞. Pulpæ radicis oxylapati ℔ j ß. ſtyracis liquidæ ℥ij. miſce; fiat pomata, quâ illiniantur partes ſcabie defœdatæ per quatuor dies horâ ſomni propè ignem; & ſi ſcabies huic reſiſtat, debent miſceri flores ſulphuris ad ℥ij.

[Ex floribus ſulphuris & axungiâ tantùm paratur pomata, cui præmiſſis præmittendis, non rarò cedit ſcabies. Hæc pomata aromatizari poteſt cum guttis aliquot olei lavendulæ aut thymi, &c. ut gratum ſuavemque ſpargat odorem.

℞. Axungiæ ſuillæ non ſalitæ ℥vj. florum ſulphuris ʒi. miſce ; fiat pomata guttis aliquot olei eſſentialis lavendulæ aromatizanda.

Pomata ſubſequens convenit etiam plurimùm ſcabiei, herpetibus, aliiſque ſimilibus affectibus cutaneis.

℞. Pulparum oxylapathi & enulæ campanæ ana ℥i. axungiæ ſuillæ non ſalitæ ℥ij. florum ſulphuris ʒvj. aut ℥i. miſce, fiat pomata, quâ illiniantur partes ſcabie aut herpetibus defœdatæ.]

POMATA

Ad fiſſuras mammarum.

℞ Sebi Hircini ℥ij. olei amygdalarum dulcium ℥i. parùm ceræ albæ ; fiat pomata, quâ illiniantur papillæ mammarum bis aut ter in die, poteſt huic addi pars balſami peruviani.

POMATA

Ad narium cruſtas, & ad fiſſuras labiorum.

℞. Adipis omenti hœdi ʒiv. ſucci uva-

rum vulgò dictarum *Maroquin* nondum perfectè maturarum ℥iij. ceræ flavæ ℥ß. miſce, omni cerâ priùs liquatâ cum adipe in balneo mariæ, & poſtquam refrigerata fuerit, ſervetur ad uſum in capſulis ligneis.

Ea naribus cruſtoſis, & leviter ulceratis prodeſt maximè, ſicut & fiſſuris labiorum, & mammarum. Poteſt etiam parari, loco adipis omenti hœdi, ex axungiâ ſuillâ. Aliquandò huic permiſcetur ſpermatis ceti ʒß. Utiliter quoque illiniuntur narium cruſtæ oleo roſato; & fiſſuræ mammarum oleo de vitellis ovorum.

CAPUT IX.

DE EMPLASTRIS ET CERATIS.

[*EMplaſtrum eſt medicamentum topicum unguento craſſius, ac durius, caloris ope extenſibile, quod cuti, cui unguento tenaciùs adhæreſcit, applicatur ad varias adimplendas indicationes.*]

* Pharmacopœiæ abundè indicant, quâ proportione remedia ad componenda emplaſtra, ſint præſcribenda; edocent & quoque oleum & ceram omnium emplaſtrorum eſſe baſim, & à cerâ, oleo, reſinâ, gummi, pice, variiſque plumbi præparationibus conſiſtentiam mutuari.

Emplaſtra *officinalia*, aut *magiſtralia* dicuntur. Magiſtralia rarò in uſum vocantur, ut potè quòd in officinis inveniuntur emplaſtra ad omnes indicationes adimplendas idonea: itaque dum adeſt indicatio inflammationem externam compeſcendi, æſtumque ſanguinis temperandi, admovetur *emplaſtrum de mucilaginibus*, aut *emplaſtrum album rhaſis* ſeu *de ceruſâ*. Ad ſuppurationem verò promovendam adhibetur *emplaſtrum diachylon magnum cum gummi*, quod ſuppurationem accelerat, partibus gummi volatilioribus, quæ ſanguini per poros permixtæ, motum ejus intendunt, ejuſque concretiones dividunt: idcircò *emplaſtrum diachylon*

magnum cum gummi admovetur præſertim tumoribus difficilè ſuppurantibus, tales ſunt furunculi, buboneſque venerei, aliique ejuſdem indolis tumores: ad eumdem finem his tumoribus etiam admovetur *emplaſtrum de galbano*, cui, ut efficaciùs agat, addi poteſt parùm *magnetis arſenicalis*, qui partibus æqualibus ſulphuris, antimonii crudi, & arſenici conſtat. Cum ſucceſſu adhibetur ad reſolvendos tumores *emplaſtrum divinum*, quod hunc effectum præſtat gummi, & aromatibus, quibus partim conſtat.

Feliciter tumoribus, venereiſque callis admovetur *emplaſtrum de vigo cum mercurio*. Tandem uſurpatur *emplaſtrum de diapalma*, ad exſiccanda ulcera ob lithargyrum, quo turget.

Inſuper in vulneribus capitis *emplaſtrum de betonicâ* ſemper adhibetur à Chyrurgis, ob virtutem cephalicam, quâ gaudet; ſed hocce emplaſtrum parvæ eſt efficacitatis. In omnibus vulneribus ſatius eſt uti pe-

nicillis vino, aut aquâ vitæ, aut aquâ vulnerariâ imbutis, quàm emplaſtris, quæ tranſpirationem cohibendo, novas fluxiones vulneribus non raò acceſunt.

Ad eradicandam penitùs tineam ſiccam vulgò *Rache*, feliciter uſurpatur emplaſtrum ſubſequens.

EMPLASTRUM

Picis navalis pro Tineâ.

♃. Picis navalis q. ſ. liquetur lento igne, & dein pice liquatâ fruſta lintei magnitudine nummi inducantur, quæ capiti, crinibus ad tineam uſque reſecatis, calidè ſunt imponenda, & per aliquot horas ibi detinenda, quibus elapſis violenter ſunt avellenda.

Verùm antequàm hocce emplaſtrum uſurpetur, priùs expurganda eſt ſanguinis maſſa, pravis ſuccis tineam foventibus, uſu aperientium, viperarum juſculorum, aquarum acidularum; imò etiam uſu lactis, ſi ſanguis multùm ſit acris.

His præmiſſis remediis, atque ad tineam uſque reſecatis crinibus, illiniendæ ſunt cruſtæ, ac eæ emolliendæ bis au ter butyro recenti, aut oleo nucum, deinde capiti imponendum eſt emplaſtrum è pice navali paratum, ibique aliquot horis detinendum, donec crinibus ac cruſtis perfectè adhæreat. Elapſo itaque ſufficienti tempore, ut illa adhæſio ſit perfecta, violenter avellendum eſt, ut capilli cum radicibus ac tineæ cruſtis ſimul evellantur. Capillorum radicibus cum tineæ cruſtis ita evulſis, abluendum, atque fovendum eſt, per duodecim dies bis in die, caput aquâ calcis ritè clarificatâ, aut decocto chelidonii majoris; poſteà ſi ſuperſint adhuc capiti ulcera, ea curanda erunt cum mundificativo de apio, ei addendo drachmam ſemiſſem præcipitati albi mercurii, aut præcipitati rubri, ſi eorum languida ſit deterſio: verùm ſi hæc auxilia nullos aut exiguos præſtent effectus, ſubſequens oleum adhibebitur. *

℞. Foliorum chelidonii majoris m. iij. aluminis rupei ℥iij. bulliant in olei olivarum ℔iij ad tertiæ partis conſumptionem, & dein cola ad uſum dictum.

* Si invitis his auxiliis ſubſiſtat tinea ſicca, admovendum erit emplaſtrum picis navalis alumine conſperſum, dein ulcerum deterſio, ac exſiccatio aquâ ſubſequenti promovebitur. *

℞. Radicis ariſtolochiæ rotundæ ℥i. foliorum abſinthii minoris, hyperici, & roſarum rubrarum ana m. j. coque in ℔iij. aquæ fontanæ; in colaturâ diſſolve ſalis kali ℥i. mellis roſacei ℥ij. hoc decocto foveantur ulcera capitis bis in die.

* Hocce decocto ablutis, ac fotis capitis ulceribus, dein curabuntur ulcera cum *mundificativo de apio*, cui admiſcebitur parùm præcipitati rubri mercurii, leni igne tantùm exſiccati, ignemque reverberii non paſſi. Ad detergenda ac exſiccanda

tineæ ulcera conducunt etiam aquæ thermales.

[Emplaſtro picis navalis evelli haud poſſunt tineæ cruſtæ ſine inſigni dolore, & ſanguinis profuſione, unde illa methodus curandi tineam ſæva, & ægrotantibus moleſtiſſima eſt; quare ſatius eſt cruſtarum lapſum priùs promovere minus ſævis, ac dolorificis auxiliis, quæ ſi incaſsùm adhibeantur, tunc emplaſtrum picis navalis in uſum eſt advocandum. Cruſtarum lapſus non raró promovetur, eas bis aut ter in die illiniendo cum butyro, aut pinguedine ſuillâ, & dein deſuper imponendo folia *betæ* aut *caulis* butyro aut pinguedine etiam illita. Si his auxiliis reſiſtant tineæ cruſtæ, capiti imponi poteſt inſtar cataplaſmatis, naſturtium tritum cum pinguedine ſuillâ commixtum, & in ſartagine dein frictum, quod diutiùs continuatum tineam ſiccam radicitùs non ſemel ſanavit. Subſequentibus etiam auxiliis feliciter fuit ſanata tinea ſicca.

POMATA AD TINEAM.

℞. Pinguedinis ſuillæ ℔ j. baccarum juniperi contuſarum m. ij. miſceantur ſimul in ollâ fictili, quæ benê obturata papyro & operculo communi, eſt collocanda propè lenem ignem, ut per tres aut quatuor horas ebulliant: dein pinguedo liquata trans linteum cum forti baccarum juniperi expreſſione trajiciatur, fiatque pomata ad uſum.

Eodem tempore parandum eſt ſequens decoctum.

℞. Baccarum juniperi craſſiuſculè contuſarum m. iv. aquæ fontanæ ℔ iv. bulliant per tres horas: dein colentur, & colatura ad uſum ſervetur.

Ut methodicè hæc auxilia in curatione tineæ ſiccæ adhibeantur, baccarum juniperi decocto ter aut ſaltem bis in die per aliquod temporis ſpatium fovendæ ſunt tineæ cruſtæ, dein linteis calidis capite probè exſiccato, cruſtæ ſunt illiniendæ pomatâ; poſteàque imponenda

ſunt

ſunt deſuper folia betæ eâdem pomatâ illita. Verùm dum hæc auxilia externè admoventur, eodem tempore internis auxiliis diluenda, demulcenda, ac leviter attenuanda eſt ſanguinis maſſa, ejuſque portio contaminata per varia excernicula eſt amandanda: hæ autem adimplentur indicationes juſculis ex pullo gallinaceo, tartaro chalybeato, cancris fluviatilibus, naſturtio, chærefolio, pimpinellâ & cichoreo amaro paratis; ſero lactis cum millepedibus, ſucciſque aperientibus alterato; variis lacticiniis; opiatis ſtomachicis, & leviter aperientibus; uſu aquarum acidularum, balnei, aliiſque ejuſdem indolis auxiliis; quæ diverſæ liquidorum conſtitutioni, ætati ægrotantis, progreſſui, ac diuturnitati morbi, & tempeſtati ſunt accommodanda.]

Ad celerem ac uberiorem ſeri acris ſanguinis evacuationem promovendam, admovetur emplaſtrum veſicatorium; [nam cuti admotum in

epidermide veſiculas excitat, ſero plenas, quæ forcipe apertæ lympham uberiorem, tanquam perenni ſcaturigine eructant.]In uſum venit veſicatorium in febribus continuis, & malignis ſopore ſtipatis, in lethargo, caro, apoplexiâ; in oculorum, dentium, ac labiorum fluxionibus, &c. Inter utramque ſcapulam, ſed nunquàm pone aures ob nimium iſtius partis ſenſum, applicandum eſt emplaſtrum veſicatorium. In febribus malignis ad ægrum exſuſcitandum (*a*) paratur emplaſtrum veſicatorium

---

(*a*) Non in omni febri malignâ conducit veſicatorium; nam prodeſt tantùm in febre malignâ à coagulatione, ſeu ab inſpiſſatione exortâ, quod apprimè eſt notandum. In hâcce febris malignæ ſpecie inter utramque ſcapulam applicatur veſicatorium, cum, invitis catharticis, imò emeticis ſopor ægrum obſtinatè occupat cum pulſu debili, & nonnunquam intermittenti, qui nec à cardiacis, nec à ſudorificis ſatis poteſt excitari. In eo autem caſu admovetur veſicatorium, non ut ſerum evacuetur; ſed ut partibus cantharidum in ſanguine ſuſceptis carpantur partes ſanguinis integrantes, ejuſque ſpiſſitudo deſtruatur, & ut dein faciliùs fluat ſanguis, ab ingurgitatione, & gravamine liberetur cerebrum, & ſanguinis depuratio ope catharticorum faciliùs peragatur.

cum duabus, aut tribus drachmis emplaſtri *Epipaſtici* ſeu veſicatorii officinarum, quæ extenduntur ſuprà lintea figuræ, ac magnitudinis palmæ manûs, & quæ extenſæ canthanidibus de novo ſinapizentur, ut citiorem præſtent effectum; vel illicò paratur ex fermento veteri, cum aceto forti emollito, & quartâ parte pulveris cantharidum. *

Sic præſcribitur.

℞. Maſſæ emplaſtri veſicatorii officinarum ℥iij. cantharidum pulveratarum ℈ j. fiat emplaſtrum figuræ palmæ manûs, admovendum cervici, aut inter ſcapulas, & elevatæ veſiculæ forcipe aperiantur, cum butyro foliiſque betæ tractentur.

Emplaſtrum epipaſticum ſeu veſicatorium officinarum ſic paratur.

℞. Cantharidum ℥ij, picis albæ, ceræ citrinæ & terebinthinæ ana ℥i; miſce; fiat emplaſtrum ſ. a.

* Inutile ſanè eſt veſicatorio addere

euphorbium, ſemen ſinapi, pyrethrum, piper, ut nonnulli exiſtimant; nam peroptimum veſicatorium erit illud, quod majori pulveris cantharidum quantitate conſpergetur; ſic itaque ſubſequenti modo parari debet. *

EMPLASTRUM EPIPASTICUM, ſeu veſicatorium.

℞. Pulveris cantharidum q. ſ. veteris fermenti cum aceto forti emolliti q. ſ. miſce ſimul; & fiat veſicatorium ſupra partem applicandum.

Veſicatoria admoventur oſſibus coronali, aut occipitali in ſoporoſis, ac diuturnis affectibus, præprimis à febre malignâ productis. Valent etiam veſicatoria ad frontis dolorem vehementem, *clavum* dictum, ad oculos uſque productum; quique exacerbationibus periodicis ægrotantem exercet; ita ut nullum ſit remedium ad hunc affectum debellandum

veſicatorio efficacius : per quindecim aut viginti dies in fluxionibus continuari poteſt.

* Præter veſicatorium jam memoratum adeſt aliud veſicatorium emplaſtrum ſuperiori mitius, cujus efficacia ad tres quatuorve menſes poteſt prorogari. Hoc veſicatorium *cauterium volans* dictum Montalbani paratur ſub formâ unguenti : verum antequam *cauterium volans* admoveatur, applicandum eſt veſicatorium ſubſequens aliis veſicatoriorum ſpeciebus præponendum. *

VESICATORIUM
Sub formâ unguenti.

℞. Emplaſtri betonicæ ℥ iv. olei roſati ℥ ij. liquentur ſupra ignem, & miſceantur cantharidum recenter pulveratarum ℥ ij, fiat emplaſtrum.

Illud emplaſtrum veſicatorium veſiculas movet, quæ non debent forcipe aperiri ; ſed tantùm curari un-

guento ſequenti, quod cauterium volans dicitur.

VESICATORIUM *Cauterium volans* dictum.

℞. Unguenti baſilici ℥ ij. unguenti populei ℥ j. liquentur ſupra ignem in vaſe fictili, & ab igne remotis his adde cantharidum pulveratarum ℥ß; fiat unguentum ſervandum ad uſum.

* Veſiculis ab emplaſtro veſicatorio excitatis admovendum eſt, manè & ſerò, hocce unguentum per omne temporis ſpatium, quo veſicatorii effectus ſunt prorogandi; verùm minuenda, aut adaugenda eſt unguenti quantitas ſupra lintea extendenda, ratione majoris, aut minoris veſicatorii effectûs.

Cauterium volans apprimè conducit ægrotantibus, qui fluxionibus naſum, oculoſve invadentibus obnoxii ſunt: non rarò etiam ſublevat viru ſcrofuloſo correptos, in quantum à veſiculis excitatis foràs amandatur

pars ſeri acerrimi, hujuſce virus turbas excitantis. Verùm perſæpè evenit veſicatorium dyſuriam intolerabilem accerſere, ob ſal acre & volatile cantharidum, quod in ſanguine ſuſceptum viis urinariis phlogoſim infert, urinamque acrem efficit. Dum hoc apparet ſymptoma, ſemoto priùs veſicatorio, dyſuria eſt pacanda venæ ſectionibus, ptiſanis diluentibus, & edulcorantibus, benigniſque catharticis. Ut rariſſimè emplaſtra ex tempore parantur, nulla de modo ea præparandi verba proferemus; ſed notandum quòd emplaſtris officinarum perſæpè admiſceantur varii pulveres, ut majoris ſint efficaciæ, ſicut etiam varia olea, ac aromata pro morborum ratione. Ad chirurgos verò ſpectat varia figura, quæ emplaſtris donatur.

EMPLASTRUM EMOLLIENS
In tumoribus Skirroſis, qui ægrè emolliuntur.

℞. Emplaſtri de mucilaginibus ℥ ij. pul-

pæ radicis liliorum ℥ j. cum ſ. q. olei catellorum, aut lumbricorum fiat emplaſtrum parti affectæ applicandum.

EMPLASTRUM RESOLVENS.

℞. Emplaſtri divini, & emplaſtri de vigo quadruplicato mercurio ana ℥i. gummi ammoniaci ʒiß. ſtyracis, & benzoïni ana ʒiij. ſalis tartari ʒi. cum ſ. q. olei macis, aut nucis moſchatæ, aut lauri fiat emplaſtrum.

* Ceratum eſt officinarum emplaſtrum, cui parùm olei additur, ut ad molliorem conſiſtentiam adducatur, faciliùſque ſupra lintea dein extendatur. Raró adhibetur ceratum, attamen ſi ſit præſcribendum, ſubſequenti modo fieri ſolet. *

℞. Emplaſtri de betonica ℥ij. cum ſ. q. olei roſati fiat ceratum ad uſum.

CAPUT X.

DE UNGUENTIS, ET LINIMENTIS.

* EX majori aut minori conſiſtentiâ à linimento differt tantùm unguentum. Unguentum itaque ex iiſdem ingredientibus paratur, ac linimentum; ſed ex minori olei copiâ, quæ nec in unguenti, nec in linimenti formulâ determinari ſolet, additur tantùm in fine formulæ *cum ſufficienti quantitate olei fiat unguentum, vel linimentum.* Unguenta officinalia, vel magiſtralia dicuntur, officinalia magno numero in officinis proſtant, ſed pleraque eumdem finem aſſequuntur: verumtamen pro vulnerum curatione aptiora ſunt eligenda, nam vulnerum curatio abſolutè debetur unguentis, quibuſcum curantur vulnera: itaque ſi tarda ſit vulnerum

ſuppuratio, *unguentum baſilicum* eſt admovendum, quod pice navali, ac reſinâ, quibus conſtat, ſuppurationem movet, undè *unguentum ſuppurativum* dictum fuit. Ad ea verò detergenda apprimè conducunt unguentum *Ægyptiacum* & unguentum *Apoſtolorum*, (*a*) verùm dum vulnera gangrænâ tentantur, eis adduntur *myrrha*, & *aloës*. Unguenti Ægyptiaci effectus debentur ærugini æris, & aceto acerrimo ex quibus cum melle communi paratur. Unguentum verò *Apoſtolorum* vi callidiori pollet, citiùſque ad partem gangrænâ correptam ſpiritus animales ad-

(*a*) Unguentum *Ægyptiacum* & *Apoſtolorum* ad detergenda vulnera præſertim conducunt, dum molliores carnes ſuccrevere, ſordidaque videntur vulnera imò & etiam dum vulnera in gangrænam videntur vergere; verùm cùm in vulneribus omnia ſatis ſana eſſe videntur, promovetur eorum deterſio. curando 1º. vulnera cum digeſtivo ſimplici, & dein procedente ſuppuratione cum balſamo *Arcæi*, quibuſcum admiſcentur oleum hyperici, myrrha, aloës aut eorum tinctura, unguentum viride, unguentum Ægyptiacum, ſi vulnerum ſordities aut gangræna imminent, aut facta ita poſtulet.

vocat, ob gummi *ammoniacum*, *galbanum*, *opoponacem*, *Bdellium*, ob pulverem *ariſtolochiæ rotundæ*, *myrrhæ*, *olibani*, *&* *viridis æris* ex quibus componitur. Supra partem combuſtam, laceratam, ~~aut~~ pelle nudatam admovetur unguentum *album rhaſis*, quod ceruſâ ex quâ præcipuam actionem mutuatur, inflammationem arcet. Combuſtioni conducit etiam unguentum *populeum*, quod in hoc caſu ad anaticas partes cum unguento albo *rhaſis* miſceri poteſt. Dum pars combuſta eſt excoriata, nihil tunc eſt præſtantius unguento calcis vivæ, quod paratur miſcendo ſenſim primam calcis vivæ aquam ritè clarificatam, cum oleo roſato, & dein ea ſimul per certum tempus ſubigendo in mortario plumbeo.

Ad ambuſtionem ſanandam paratur & quoque unguentum ex lythargyro, oleo roſato, & aquâ roſarum; ſed perſæpè poros cutaneos obturando novam fluxionem infert parti

combuſtæ. Si parti ambuſtæ nulla proſint topica, & vividiſſimus dolor in eâ perſentiatur, tunc admovendum eſt cataplaſma de micâ panis, cui admiſcenda eſt magna olei liliorum quantitas, ne citò ob ſummum partis combuſtæ calorem exareſcat. Verùm dum pars ambuſta nec lacerata, nec excoriata eſt, ſed in eâ obſervantur tantùm veſiculæ, nihil tunc efficaciùs ambuſtioni ſuccurrit, quàm vinum tepidum, aut aqua vitæ, aut urina calore naturali adhuc tepens, aut etiam aqua vitæ in quâ *camphora* diſſoluta fuit, cui etiam addi poteſt ſalis ammoniaci momentum.

Paratur unguentum, quod non ſolùm ambuſtioni efficaciter medetur, verùm & etiam ignis actionem in partes noſtras impedit; nam ſi aliquis pedes v. gr. hocce unguento illiniat, & calceolos lineos hocce etiam unguento illitos induat, & dein per duos aut tres dies diu noc-

tuque ſervet, per vectem ferreum candentem ire dein poterit, quin ignis effectus perſentiat, quamquàm antehac aquâ calidâ abluti fuerint pedes.

UNGUENTUM

Ad deambulandum ſupra ignem.

℞. Cœpam & allium ad magnitudinem ovi gallinacei, nicotianæ braſilienſis ℥ß. croci orientalis p. j. lardi rancidi ℥ß. incidantur omnia, deinque conterantur in mortario, quouſque redigantur in paſtam, poſtea huic paſtæ addatur olei olivarum, olei lumbricorum, & urinæ humanæ recentis ana cochlear j. unguenti populei, & albi rhaſis ana ad magnitudinem parvæ nucis, fiatque ſ. a. unguentum ad uſum.

Decoctum ebuli in vino rubro ad ambuſtionem ſanandam plurimùm etiam confert; nam ob vim ſuam reſolventem, ſanguinis hærentiæ obſtat, qui inflammationem accerſeret ob nimiam vaſorum conſtrictionem ab ardore ignis inductam.

Unguentum *mundificativum* de apio, aliis unguentis eſt anteferendum, dum vulnus ſordidum detergendum, & carnes citò ſuccreſcentes deprimendæ: ob enim magnum plantarum numerum ex quibus partim paratur, & quæ ſale acri ſcatent, aptiſſimum eſt ad dividendas ac ſcindendas materies purulentas in vulnere hærentes, ac ſtagnantes. Si vulnus ſordidiſſimum ſit, ac granis carneis pallidis, ac mollibus oppletum, detergendum eſt aquâ *phagedenicâ*, (*a*) in quam immergendi ſunt *plumaceoli*, qui eâ madefacti ſupra vulnus ſunt applicandi. Semel aquâ phagedenicâ deterſo vulnere, dein curandum eſt cum mundificativo de apio, aut cum ſuppurativo ex terebinthinâ, vitello ovi, ac oleo roſato parato.

Nullum unguentum admovendum

(*a*) Aqua *phagedenica* ſeu corroſiva ex aquâ calcis & ſublimato corroſivo paratur, eâ proportione, ut pro quâlibet aquæ calcis librâ ſit drachma ſemi aut ad ſummum drachma una ſublimati corroſivi.

eſt *ulceribus cancroſis*, nec cancro, utpotè quòd inflammationem accerſit, & excitando ſalia acria, & craſſa hoſce morbos producentia, dolores vividiſſimos procreat; ſed ad curanda ulcera cancroſa, aut cancros, adhibemus tantùm *balſamum Arcæi*, quod [modò recens paretur] nullam infert irritationem, & ei pulverem plumbi non rarò admiſcemus: prodeſt quoque ad curandos cancros oleum vitellorum ovorum.

A Marchione de *Pignatelli* accepimus modum parandi balſamum ſummi Pontificis Innocenti XI, ac etiam balſamum Comitis *Palavicini*, quæ mira præſtant in vulnerum curatione; etenim eorum auxilio perfectâ cicatrice obducta fuere vulnera, quæ permultis auxiliis reſtitere. *

BALSAMUM
Summi Pontificis Innocentii XI. ad modum unguenti.

℞. Thuris maris ℥ß. ſtyracis & benzoini ana ℥ij. myrrhæ troglodyticæ ℥j. bal-

ſami orientalis ℥j. aut ejus loco balſami liquidi peruviani, & balſami albi ana ℥ß. aloës ſoccotrinæ ℥ß. moſchi orientalis & ambari griſei ana gr. xij. florum hyperici ℥j. Infundantur per xxiv. horas flores hyperici cum ℔. iij. ſpiritûs vini alkoliſati in vaſe vitreo albo, decantetur ſpiritus vini ruber, & tinctus: hic ſpiritus in matracio ponatur oblongo, & amplo, cujus tertia pars vacua ſuperſit; tunc reliqua ingredientia immittantur in pulverem tenuiſſimum redacta, obturetur vas alio matracio, juncturæ papyro glutinentur: dein impone ad digerendum igni furno cinerum per viginti dies igni ſolis menſis Auguſti ſimili: poſt digeſtionem viginti dierum auferatur vas adaptatum, & adhuc calido balſamo addatur balſamum peruvianum, & balſamum album (*Copaiva* cognomine) move matracium ad intimiorem materierum penetrationem, adhuc per biduum ſervetur in digeſtionem ſupra cineres vas obturando, poſt biduum decantetur balſamum, in lagenâ vitreâ ſervandum, quæ obturabitur: quò vetuſtius, eò melius eſt hoc balſamum.

BALSAMUM Unguenti Palavicini.

℞. Thuris maris ℥j. balſami peruviani ℥ij. benzoïni ℥iij. myrrhæ, aloës ſoccotrinæ, radicum angelicæ & conſolidæ majoris ana ℥ß. loco moſchi & ambræ quæ mulieribus incommodum afferunt, ut plures exiſtimant, ſtyracis ℥iij. Verumtamen ſi moſchi & ambræ odor non pertimeſcatur, addi poſſunt grana circiter vj. uniuſcujuſque, florum hyperici ℥j. ſpiritûs vini ℔ iij. digerantur in ſpiritu vini flores hyperici per xxiv. horas; cola & exprime, injice alia ingredientia pulverata in vaſe vitreo ſat amplo, digerantur omnia per xxiv. dies igne lampadis.

* Unguenta magiſtralia ſunt ea, quæ datâ operâ à medicis præſcribuntur. Ea inter adſunt quæ abſque ignis auxilio parantur, & quæ vocantur *nutritum*. Unguentum nutritum ex butyro recenti, oleis pinguibus, aceto acerrimo, aut ſuccis plantarum cum aliquâ plumbi præparatio-

ne in mortario diù agitatis paratur: Subſequenti modo præſcribi ſolet. *

UNGUENTUM NUTRITUM.

ad ambuſtos artus, inflammationes, & hæmorrohoïdes.

℞. Lithargyri auri tenuiſſimè pulverati ℥j. olei roſacei & aceti acerrimi q. ſ. ad lithargyri diſſolutionem fiat ſ. a. nutritum debitæ conſiſtentiæ ad uſum.

Verùm pro hæmorrhoïdibus curandis huicce unguento anteferendum eſt butyrum recens, ſubſequenti modo præparatum.

℞. Butyri recentis ℔. ß. in ſartaginem ſupra ignem collocatam immittatur, ut liquetur, ac coquatur quouſque odorem aduſtum exhalet; dein in ſitulam aquâ frigidâ plenam infundatur, ut concreſcat, tandem colligatur, ex ſitulâ eximatur, & ad uſum ſervetur.

Hocce butyro ſic præparato linteum ſpiſsè eſt inducendum, quod ſupra hæmorrhoïdes eſt applicandum, & quovis horæ quadrante eſt renovandum.

[Ad curandos cancros ulceratos paratur unguentum nutritum, cum ſucco ſolani hortenſis, & cerusâ aut lythargyro, quod plerumque prodeſt in quantum dolorem mitigat, progreſſumque cancri ulcerati retardat, ſubſequenti modo parari ſolet.

UNGUENTUM NUTRITUM
Ad cancros ulceratos.

℞. Succi depurati ſolani hortenſis ℔ ß. agitetur in mortario plumbeo, donec craſſeſcat, & plumbi colorem acquirat; tum admiſceantur exactè lithargyri auri tenuiſſimè pulverati ℥ ij. fiatque unguentum nutritum ad uſum.

Cum hydrargyro ritè defœcato & axungiâ ſuillâ paratur unguentum *mercuriale*, *Neapolitanum* dictum, quod ad debellandam luem veneream, *phteiriaſim*, ſeu morbum pedicularem, ac ſcabiem, eſt ſpecificum. *

UNGUENTUM NEAPOLITANUM.

℞. Hydrargyri ritè defœcati, & cum terebinthinâ extincti ℥ x. axungiæ ſuillæ

non ſalitæ ℥ xx. agitentur diù in mortario æreo : fiat unguentum Neapolitanum.

* Ut mercurius in therebinthinæ ſufficienti quantitate faciliùs extinguatur, apprimè conducit mercurium primò terere in mortario æreo cum aliquot guttis olei *maſtiche* [aut potiùs olei nucis myrepſicæ vulgò *behen*;] dein addenda eſt ſufficiens terebinthinæ quantitas, quâcum contundendus eſt inmortario mercurius, donec omninò extinguatur. Cum illo tandem miſcenda erit axungia ſuilla non ſalita, & unà tamdiù ſubigenda piſtillo, donec in tenuiſſimas atomos, oculi aciem omninò effugientes diviſus ſit mercurius, per totam unguenti maſſam æqualiter diſpertiatur, intimèque adipi permiſceatur.

[Ex traditâ ſuperiùs formulâ unguenti Neapolitani unam eſſe mercurii partem pro duabus adipis patet; quæ formula licèt uſitatiſſima, ac tu-

tiſſima ſit; adſunt tamen nonnulli, qui parant unguentum Neapolitanum nunc ex æqualibus partibus hydrargyri & adipis, nunc ex unâ tantùm mercurii parte pro tribus axungiæ; quod à medico ſanè eſt notandum, cum hæ variæ compoſitiones majorem aut minorem mercurii quantitatem contineant.]

Antequàm ad luem veneream curandam in uſum advocetur unguentum Neapolitanum, operæ pretium eſt ægrum debito modo præparare venæ ſectionibus, potionibus catharticis & balneis. * 1°. Ergò enemate craſſis fæcibus alvus liberetur. 2°. Sanguis emittatur ex brachio ad uncias novem. 3°. Subſequenti die purgetur convenienter, dein per octo aut decem dies balneo humectetur bis in die, in balneo juſculum pulli junioris hordeo farti, & herbis refrigerantibus alteratum ſumat; poſt ſexdecim aut viginti balnea, denuò ſecetur vena, & craſtinâ die denuò pur-

getur, poſteà quatuor aut ſex balnea ſunt adhuc ſumenda.

* Verùm toto præparationis ſtadio diæta accurata ab ægro eſt ſervanda, offam ex jure vitulinæ carnis, pulli junioris, & herbarum refrigerantium paratam manè & ſerò edendo; ſolis carnibus aſſis & elixis utendo; vinum aquâ copiosâ temperatum bibendo; varia condimenta, & ſalita, ac piperata edulia ſedulò vitando, ab omnibus fructuum ſpeciebus etiam abſtinendo, niſi cocti & ſaccharo ſaporati ſint, nam fructibus ſic paratis interdùm, ſed moderatè uti poteſt æger.

Graviter ſanè errant, qui non ſolùm toto præparationis ſtadio, ſed etiam toto hydrargiroſis tempore ptiſanæ exſiccantis, & *Bocheti* uſum ægrotantibus ſuadent; nam ad eradicandam penitùs luem veneream ſufficit mercurius.

[Toto præparationis ac hydrargiroſis tempore, cautè vitandus eſt uſus

ptiſanæ exſiccantis & *Bocheti* ; ſanguini enim fervorem, ac ſiccitatem inferunt, ſolida ſiccant, ac criſpant, unde mercurii vis in ſanguinem tumultuoſa, quæ eſt præcavenda, ut tutò ac radicitùs à mercurio curetur lues venerea.]

Abſolutè neceſſaria eſt ante hydrargiroſim conveniens præparatio, nam infortuniis, quæ apparent dum viget ptyaliſmus, occurrit, ſanguinem mercurio atterenti obſequioſum reddendo ; quapropter tempore præparationis non adhibentur antivenerea; adhibentur tantum temperantia, edulcorantia, diluentia, ut temperetur ſanguinis motus ; ejus acrimonia demulceatur, ſummaque ſeri copia ſanguini ſuppeditetur, ad fovendum ptyaliſmum, quin os vividâ inflammatione gravibuſque ulceribus corripiatur. (*a*) Si æger lue venereâ

(*a*) Hydrargiroſi hodiè ea præparatoria remedia præmittuntur, non ut citatior, ac uberior ſalivæ excretio, ſeu ptyaliſmus foveatur, ſed ad infringendam nimiam mercurii energiam, diluendo,

correptus pulmonarius ſit, aut tantùm anheloſus, tuſſiens, imò etiam ſi cum ſummo corporis marcore, febriculâ corripiatur, non ſolùm adhibenda ſunt viginti quinque aut triginta balnea, verùm etiam per duos menſes lacte aſinino uti debet, [ſemel aut bis in die, imò etiam, lacte caprillo aut vaccino pro omni alimento, ſi ejus ventriculus lac facilè concoquat.] Verùm ſi in ventriculo difficilè concoquitur lac, loco lactis exhibenda ei ſunt juſcula ex cancris fluviatilibus & herbis refrigerantibus parata [vel juſcula ex ranis, aut ex ſanguine, & carne teſtudinis] cremores, aquæ acidulæ leviſſimæ, & optima atque accurata diæta ipſi eſt præſcribenda, ut ſanguinis vitia à lue venereâ aliena emendentur, actionemque mercurii ferre valeat æger. [Verùm in illo caſu balneorum loco ſemicupia adhibenda ſunt, ne nimiâ

edulcorando, ac temperando fluida, laxandoque ſolidorum ſtamina, ut abſque ullâ tumultuosâ actione virus venereum ab eo extinguatur.

nimiâ aquæ totum corporis habitum ambientis preſſione, pectus malè ſe habeat.]

Prudentis Medici officium non eſt, luem veneream cum ſcorbuto conjunctam frictionibus mercurialibus debellare, ne mercurius ſanguinem nimis commovendo ptialiſmum moveat, qui gingivarum carnes abſumeret, lapſum dentium promoveret, accerſeret hæmorrhagiam, quæ dein difficilè inhiberetur. Verùm ſi æger lue venereâ cum ſcorbuto conjunctâ correptus, hydrargiroſim experiri abſolutè velit, non eſt in illo caſu adhibenda hydrargiroſis, niſi priùs longa ac conveniens præceſſerit præparatio, ex uſu diuturno balneorum, lactis, & aliorum edulcorantium deſumenda.

Prægnanti lue venereâ correptæ hydrargiroſis adhiberi poteſt; ſed cautiùs ac parciùs eſt adhibenda; utpotè quòd balnea uſurpare nequit: poſſumus tamen ſanguinis ejus quan-

titatem minuere, unâ aut alterâ venæ ſectione, ejuſque alvum movere blandis catharticis, & dein per novem aut decem dies juſcula refrigerantia ei propinare, ut balneorum omiſſio eis ſuppleatur. (*r*)

Frictiones adminiſtrandæ propè levem, & flammantem ignem ſolent exordiri à pedum plantis. Pro quâlibet frictione unguentum mercuria-

---

(*r*) Balneationes quæ ad hidrargiroſis præparationem adhibentur, in omnibus prægnantibus indiſcriminatim non ſunt omittendæ, nam experientia edocet mulieres uterum gerentes balneari poſſe dum validâ corporis conſtitutione præſertim donantur: verùm tamen eſt quòd in eis balneandis præcauto opus eſt, ne nimiâ ac diuturnâ balneatione utero noxa inferatur, cauſaque detur abortioni. In prægnantibus verò valetudinariis, & in his quæ minimâ de causâ abortiunt, balneationes in totum conſultò ſunt omittendæ, ne, quantâcumque cautione adhibeantur, abortionem promoveant; ſed tunc præmiſſis unâ aut alterâ venæ ſectione, atque blandis catharticis, ut cacochylia everratur, diluendus eſt ſanguis, laxandaque ſunt vaſculorum ſtamina, diuturniore uſu juſculorum, & apoſematum diluentium, & refrigerantium, ſeri lactis, imò lactis ipſius, ſi ſtomachus lactis patiens ſit, ne periculoſæ à mercurio excitentur turbæ.

le ad unciam unam, aut ad ſummum ad unciam unam & ſemi adhibetur. (*p*)

Verùm antequàm pars corporis illinienda unguento mercuriali inungatur, manu ſiccâ priùs eſt confricanda ad ruborem uſque, ut calore affrictûs pori laxiùs pateſiant, faciliùſque mercuriales atomos admittant: tum deſtinata unguenti doſis æquabiliter ſupra partem diſtribuitur, quæ nudis manibus ad ignem levem illinitur per quartam horæ partem. (*m*)

(*p*) Hodiè tantâ doſi pro quâlibet frictione non adhibetur unguentum Neapolitanum, ne primis frictionibus ptyaliſmus moveatur, qui ſanè initio hydrargyroſis ſemper eſt pertimeſcendus: quocircà ad occurrendum ptyaliſmo, aliiſque etiam mercurii turbis ad frictionem quamlibet unguentum mercuriale raro ſupra unciam ſemiſſem præſcribitur.

(*m*) Hocce temporis ſpatium non ſufficit ad frictionem ritè adminiſtrandam, brevius enim eſt ut omnes mercurii atomi poros ſubire poſſint. Cæterùm præcisè determinari nequit tempus, quo pars eſt illinienda; ſed ut ritè adminiſtretur frictio, illinienda eſt pars ad ignem, donec pars mercuriali unguento inuncta exareſcat, quod ordinario manifeſtatur ſpatio ſemi horæ.

Prima frictio à pedibus ſupra genu extenditur, & illâ frictione attentè illiniuntur pedum digiti, pedum plantæ, malleoli, & tibiæ, ut intra cutim faciliùs penetret mercurius. Poſt hanc frictionem pedes calceolis lineis, & tibiæ obteguntur tibialibus linteis lateraliter apertis, quibus vittæ conſuuntur, ut faciliùs induantur, faciliùſque retineantur. Porrò pedes calceolis & tibiæ obteguntur tibialibus, ne lecti linteis adhæreſcat unguentum Neapolitanum; [ſed præſertim ut mercurii in ſanguinem admiſſi energia continenter ſuſtentetur, ac promoveatur his variis indumentis, quæ ſemel unguento mercuriali infecta novas mercuriales atomos, ipſi ſuggerunt; quocirca ea geſtari debent, quamquàm ſordida ſint, ad finem uſque hydrargiroſis, niſi ptialiſmus derepentè erumpens, vel exceſſu peccans, ea detrahere ſua-

deat. Iiſdem rationum momentis femora ſemel inuncta femoralibus obteguntur, & reliquum corpus illitum induſio veſtitur.]

Semel adminiſtratâ frictione in cubili probè calefacto collocandus eſt æger, ubi per unam aut alteram horam ſeſe continere debet, ut illitus mercurius altiùs penetret; ſicut etiam per unius horæ ſpatium ab omni alimento tum ſolido, tum liquido abſtinere debet. Opportunæ perindè ſunt frictiones matutinis horis ante cibum, aut ſerotinis peractâ concoctione versùs horam quintam adminiſtratæ.

A primâ frictione æger carnibus, præſertim veſpertinis horis, interdicendus; nutriendus tantùm eſt cum duabus aut tribus offis, & juſculo mediâ nocte propinato, quouſque ptyaliſmus erumpat, & pro potu exhibenda ei eſt ptiſana ex decocto hordei cum aut

abſque liquiritiâ. (ſ)

Quâlibet die una frictio eſt tantùm adminiſtranda, quæ ſemper

---

(ſ) A primâ frictione æger omninò carne nunc interdicitur, ſicut etiam vino, & in cubiculo temperatè calido continetur, ne mercurii energia aëris injuriis coerceatur, aut turbæ vividiores excitentur. Pro potu ei exhibetur ptiſana diluens, & refrigerans, nunc ex decocto hordei, cui additur liquiritiæ fruſtulum; nunc ex decocto graminis, & foliorum capillorum veneris; quandòque exhibetur tantùm ptiſana ex fruſtulo panis toſto præparata. Nutritur æger tempore hydrargiroſis, offis, ovibus ſorbilibus, panis albiſſimi fruſtulis, & ſemel in die manè nempè jejuno ventriculo propinatur lactis cyathus ad ℥xij. aut xv. quod bis imò ter in die exhiberi poteſt, dum ægri conſtitutio ſuadet. Verùm quoad uſum lactis, hydrargiroſis tempore, notandum eſt, quòd quamquàm lac tempore hydrargiroſis apprimè conveniat, inconſultò non eſt exhibendum pluries in die, ne ab eo nimis imminuto ſanguinis motu, nimiſque laxatis ſolidorum ſtaminibus, efficaciæ mercurii obſtet; nam tunc languеſcentibus viribus vitalibus atomi mercuriales ſufficienti vi in concretiones lymphaticas non propelluntur ad eas ſcindendas, ac deſtruendas; & conſequenter ad penitus eradicandam luem veneream: nihil itaque mirum ſi ſæpè fuerit obſervatum, luem veneream uſu præpoſtero lactis ſæpè obſtitiſſe hydrargiroſi, quamquàm methodicè adminiſtratæ.

particularis, & numquàm univerſalis eſſe debet. (*k*)

Pedes ac tibiæ ſecundâ frictione iterùm illinientur, quæ adminiſtrabitur pari, ſimilique doſi unguenti Neapolitani, & eâdem cautelâ, ac prima frictio; illa itaque ſecunda frictio à pedibus iterum, ſed ad crura media extendetur.

Tertia frictio à cruris medio ad inguina uſque extendetur, & hâc frictione probè illinienda erunt genitalia, inguinales glandulæ, & totus perinei tractus.

Ex ſecundâ frictione femora obtegentur femoralibus, ſicut tibialia lateraliter apertis, & vittis retentis:

(*k*) Frictiones univerſales noſtris quoque temporibus non adminiſtrantur, ſed ſemper particulares. At quâlibet die hodiè non adminiſtratur frictio, nam ut initio hydrargiroſis ptyaliſmus eſt pertimeſcendus, ſicut etiam omni hydrargiroſis tempore dum plenus eſt: inter ſingulas frictiones mos eſt interponere diem unam, aut alteram; imò etiam perſæpè convenit inter quamlibet frictionem tres, quatuor, quinque, imò & ſex dies intercedere: dum æger valetudine aut naturâ infirmior eſt.

ea indumenta ſervabit æger quo uſque ptyaliſmus erumpat.

Quarta frictio ſuper nates adhibebitur ad lumbos uſque, & poſt eam induetur induſium, quod geſtari debet per totum hydrargiroſis ſtadium. Venter ac thorax unguento mercuriali inungi numquàm debent, ne rarefacto à mercurio ſanguine, viſceribus ibi incluſis inflammatio inferatur. [Verum tamen ſi morbus quivis localis thoracem aut ventrem occupet, inunctionibus localibus pars affecta ex arte eſt illinienda, quin ulla noxa ſit pertimeſcenda, nam è contrà cum emolumento maximo adhibentur.]

Quinta frictio à lumbis, ad collum uſque extendetur; eâ frictione probè illinientur ſcapulæ, axillæ, pars colli antica, pars auris poſtica, ac parotidum ſedes.

Sexta tandem adhibebitur ſuper utraque brachia, à ſummis

ſcapulis, ad pugnos uſque. (*t*)

Poſt primam, aut ſecundam frictionem, & dein quâlibet die attentè introſpiciendum eſt in oris interiora; an fortè adſint ulla ſigna futuri ptyaliſmi; (*v*) multa enim ſunt quæ imminentem ptyaliſmum præſa-

(*t*) In hodiernâ ac vulgari frictionis adminiſtrandæ methodo, utraque tibia eâdem die non illinitur, unde hodie numeroſiores ſunt frictiones: ſubſequenti autem methodo ſolent procedere.

Prima frictio à pede dextro ad tibiæ ſuram extenditur; ſecundâ frictione illiniuntur pes ſiniſter & tibia, ad ſuram etiam uſque; tertia frictio ſuper tibiam dextram adhibetur, à ſura ad femoris medium; quarta frictio ſupra tibiam ſiniſtram, ad femoris etiam ſiniſtri medium; quinta, & ſexta à femorum medio, ad nates uſque; ſeptimâ nates illiniuntur ad lumbos; octava à lumbis, ad decimam dorſi vertebram extenditur; nonâ dorſum ad collum uſque inungitur; ſupra brachia decima, & undecima adhibentur à ſummis ſcapulis ad pugnos uſque. Hâc methodo tutiùs eradicari luem veneream, quin præceps manifeſtetur ptyaliſmus, experientia didicit.

(*v*) Attentè quoque inquirendum eſt, an copioſiùs, & frequentiùs mingat æger; an diarrhæâ laboret, & an totus corporis habitus madore non perfundatur: utpotè quòd has ſecretiones promovet etiam mercurius; verumtamen eſt, quòd faciliùs ſecretionem ſalivæ, quàm alias ſecretiones adaugeat, ob ſanè debiliorem glandularum ſalivalium textum.

giunt, nempè inflammatio, & dilatatio extremorum ductuum ſalivalium; oris calor, rubor, ac foetor; labiorum ac linguæ craſſities; gingivarum rubor, & inflatio; dentium ſtupor; pulſûs frequentia; capitis gravitas, & ſæpè dolor pulſatilis; parotidum & glandularum maxillarium tumor, & dolor; & perſæpè cardialgia, ventriſque tormina.

Dum præſentia illorum ſymptomatum imminentem ptyaliſmum prænuntiat, frictionibus ſuperſedendum diebus aliquot, licèt ea ſymptomata poſt ſecundam, aut tertiam frictionem manifeſtentur; & ſi derepentè erumpat ptyaliſmus, ſimulque os inflammatum, & ulcuſculis profundioribus obſeſſum, & lingua craſſa obſerventur, non ſolùm frictionibus ſuperſedendum, verùm & etiam indumenta, quæ ab illito mercurio ſordent, ſunt detrahenda. Aſt ſi poſt unctiones ſex adhibitas, ſymptomata futuri ptyaliſmi prænuntia non appareant, totum corpus iterum eſt illiniendum frictionibus

quatuor, quæ ſubſequenti methodo adminiſtrabuntur. Prima frictio à pedibus ad genua extendetur; ſecunda craſtinâ die adminiſtranda ſuper femora adhibebitur à genubus ad inguina; tertiâ die frictione tertiâ illinientur nates, & dorſum, ad collum uſque; quartâ tandem die quarta frictio ſuper utraque brachia adhibebitur, à ſummis ſcapulis, ad pugnos uſque; modò ut primis frictionibus nulla moveatur copioſa excretio, ſive per os, ſive per alvum, ſive per urinas, ſive per corporis habitum, in quo caſu ſubſiſtendum eſt. Tandem ſi invitis illis ultimis frictionibus non erumpat ptyaliſmus, adminiſtranda eſt frictio univerſalis cum unguenti Neapolitani unciis duabus; (*o*)

(*o*) Illito ſemel toto corpore unguento mercuriali, ſi ſymptomata luis venereæ penitùs non evanuerint, aut ſi ptyaliſmo moderato, aut madore cutis, aut levi diarrhæâ, aut copioſiori urinæ excretione non fuerit manifeſtata efficacia mercurii, non adhibemus frictionem univerſalem; ſed particulares, ac ſub linteis detinemus ægros, quouſque actionis mercurii, ac viru venerei extinctionis certum præbeatur ſignum.

& dein ſub linteis quæ unguento mercuriali ſordida ſunt, detinendus eſt æger per octodecim, aut viginti dies; intereà eradicitùs à lue venereâ liberatur, quamquàm ptyaliſmus non eruperit, ut potè quòd virus venereum extinguit mercurius, & per cutanea ſpiracula foràs amandat. (*a*)

Adſunt nonnulli ægrotantes temperamento debili præditi, qui mercurii actione citò ac vividè afficiuntur:

(*a*) Virus venereum manifeſtari concretionibus lymphaticis tenuiſſimis, ac duriſſimis, in omni fluido lymphatico innatantibus, vaſaque minima obſtruentibus, neminem fermè fugit. Ut ergo virus venereum extinguatur eradicitùs, neceſſum ſanè non eſt ut à mercurio moveatur ptyaliſmus, nec ulla alia evacuatio; ad foràs amandandum virus venereum, ſufficit tantùm ut naturalis fluiditas toti lymphaticæ maſſæ reſtituatur, ut dein vaſa minima faciliùs permeet. Hunc autem præſtat effectum mercurius atomis ſphæricis, ſolidis, & ponderoſiſſimis, in quantum vaſa minima penetrant, ſufficienti vi in eas concretiones tenuiſſimas, ac duriſſimas incurrunt, ut ſcindantur, ac carpantur, reſerentur vaſa minima, fluiditaſque naturalis toti lymphaticæ maſſæ impertiatur: verùm ſi ſub fine hydrargiroſis hodiè ptyaliſmus exoptetur, non ut foràs amandetur virus venereum, ſed ut de mercurii efficaciâ certum ſit augurium.

tiam ſecundâ aut tertiâ inunctione copioſiſſimum ptyaliſmum experiuntur cum ſummâ oris inflammatione, ad gangrænam perſæpè vergente, & tantâ linguæ inflatione ulcuſculis obſeſsâ, ut in ore abſque ſummo ſuffocationis periculo eam continere non poſſint, ita ut eam exerere, & foràs retinere coacti ſint: ſed quod ægris moleſtius, eſt tam arcta compreſſio à dentibus in linguam tumefactam illata, ut metuendum ſit, ne præcidatur; quod apud nonnullos ægros obſervavimus. In his circumſtantiis frictionibus omninò ſuper ſedendum, & incunctanter lintea mercurio ſordida ægris ſunt detrahenda, vena iterum atque iterum ſecanda, tertiâ quâque horâ ei ſunt propinanda juſcula, ex carne vitulinâ & pullo gallinaceo parata, & pluries in die decocto hordei cum melle roſaceo detergendum eſt os, ut eſcharæ, quæ illicò efformantur, everrantur; nam alioquin ſummam inflammationem,

gangrænamque dein ori inferrent.

Si venæ ſectionibus pluries repetitis, aliiſque adhibitis auxiliis reſiſtat oris inflammatio, ægrotantium alvus protinùs eſt movenda, infuſione ſennæ in quâ diſſolventur ℥iß. mannæ Calabrinæ, & ℥i. ſyrupi roſarum ſolutivi, & iteranda eſt hæc potio cathartica alternis diebus, imò etiam tundenda eſt vena, die à catharſi liberâ (ſi vires ferant) quouſque oris inflatio remittatur, inflammatio temperetur, ptyaliſmuſque regatur ad libras novem, aut decem ſalivæ, quovis nycthemero.

[Si invitis his omnibus auxiliis oris ſymptomata perſiſtant, exceſſuque ſemper peccet ptyaliſmus, in balneum demittendus eſt æger, non tantùm ſemel, ſed etiam bis in die, ſi valeant vires; energiam enim mercurii multùm infringit balneum.]

Obſervamus quotidiè quòd ii qui derepentè primis frictionibus ptyaliſmum experiuntur, nec tam tutò, nec tam

citò à lue venereâ liberentur, quàm hi apud quos pedetentim, & ultimis frictionibus erumpit ptyaliſmus. [Quia tunc atomi mercuriales nullo modo, aut leviter tantùm ultima vaſa attingunt, ſed ab eis ſummo ſanguinis æſtu excitato, cum uberiori ſalivali rore foràs amandantur.] Quod apprimè comprobat, mercurium non curare luem veneream ptyaliſmum movendo, ſed virus venereum extinguendo.

Si hydrargiroſis tempore, torminibus ventris diſcrucietur ægrotans, compeſcenda erunt ea tormina cum enematibus bis aut ter in die injectis, ex lacte tepido paratis, & in quovis enemate diſſolventur mucilaginis ſeminis pſyllii, aut cydoniorum aquâ roſarum extractæ ℥ij. Verùm ſi cum torminibus ſanguinolentæ materiæ excernantur, ſeu ſi dyſenteriâ laborat æger, ut ſæpiſſimè evenit, injicienda ſunt enemata ex emulſione quatuor ſeminum frigidorum majo-

rum præparata, in quâ diſſolvetur unus ovi vitellus, & identidem addi poterunt ſyrupi de nymphæâ ℥ij. imò etiam ℥i. ſyrupi papaveris albi, ſi gravius urgeat morbus. Intereà tamen manè, & ſerò exhibebuntur emulſiones, cum ſyrupo de nymphæa, quibus numquàm, aut ſaltem parcâ manu debent addi narcotica, ne nimis citò alvi fluxus cohibeatur; & nutrietur æger cum juſculis; & oryzæ cremoribus, tertiâ quâque horâ propinatis.

[Præter remedia anodyna, & paregorica, quæ ad ſuccurrendum ventris torminibus tempore hydrargiroſis apparentibus, alvique fluxibus, qui ipſis adjunguntur, ſub formâ hauſtûs, & enematis ſunt exhibenda; ſecanda eſt quoque vena, ſi calore & dolore vivido urgeatur abdomen, & ſuperſedendum eſt diebus aliquot frictionibus, ne pro minori inteſtinorum reſiſtentiâ, mercurius in ea impetum faciat. Verùm ſi actioni mer-

curii tumultuantis debeantur præſertim hæc ſymptomata, non ſolùm exhibenda ſunt demulcentia, & ſuperſedendum frictionibus; verùm & etiam ſi immoderata videantur, incunctanter detrahenda ſunt lintea, & tundenda iterum ac iterum eſt vena, ut actio mercurii tumultuantis coerceatur.]

Moto ſemel ptyaliſmo, ſi modum debitum teneat, fovendus eſt per ſexdecim, octodecim, viginti, viginti-quinque, triginta dies, niſi exceſſu peccet, & ulcera oris nimis profunda eſſe videantur; nam tunc compeſcendus, & ad debitum modum revocandus eſt ptyaliſmus, auxiliis ſuperiùs enarratis, & detergenda ſunt oris ulcuſcula, ea imbuendo cum penicillo linteo collyrio *Lanfranci* imbuto, & dein ſæpiùs ea eluendo decocto hordei cum melle roſaceo. Lintea mercurio ſordida ægro non ſunt detrahenda, niſi perfectus, ac plenus ſit ptyaliſmus; in-

tereà tamen, ſi vivida, ac ſubitanea fluxio os invadat, aut alia graviora ſuperveniant ſymptomata, incunctanter detrahenda erunt, ut graviſſima præcaveantur mala. Ut uno & eodem tenore foveatur ſemper ptyaliſmus, neceſſum eſt, ut ægrotans affatim epotet ptiſanam ex decocto hordei, cum liquiritiâ paratam, ut ſufficiens materia ſalivationi ſemper ſubminiſtretur; prætereà etiam atque etiam attendendum eſt, quòd cubiculus, in quo continetur æger, ſit temperatè calidus, & ubique ac optimè clauſus: nam in his circumſtantiis periculoſus fit aër frigidus, noxiique fiunt venti, cum vividiſſimam odontalgiam accerſant, parotidibuſque fluxiones inferant; neceſſum quoque eſt, ut focale ſibi induat, & corpus indumentis rectè operiatur, alioquin rheumatiſmi aut fluxionis pectoris aleam adiret.

Si ſummum ardorem ori perſentiat æger, ſalivæque fluor ſit ar-

dens, & ſi dum ex ore effluit, linguam, gingivas, aliaſque oris partes pelle denudet, æger ſæpè in die lacte tepido os eluere debet, imò nonnunquàm mucilagine ſeminum cydoniorum, & pſyllii aquâ liliorum extractâ.

Hydrargiroſis tempore gingivæ ſæpè hiant, ſanguinemque copioſum effundunt, unde graviſſimæ hæmorrhagiæ incunctanter inhibendæ iteratis venæ ſectionibus, cibo edulcoranti ac diluenti, collyrio *Lanfranci*, quo imbuenda eſt hians gingivarum portio; aut vitrioli diſſolutione. Verùm inter omnia remedia externa ſanguinem ſiſtentia, nullum eſt, quod citiorem ac tutiorem effectum præſtet, quàm oleum vitrioli, quod vaſa hiantia optimè adurit, quamquàm arterioſa ſint; itaque in uſum vocari poterit, ſi alia auxilia incaſſum fuerint adhibita.

Cum lingua ulcuſculis obſeſſa ſummoperè tumet, & extra os exeritur,

dentibuſque comprimitur, cuneoli ex abiegno ligno utrinque altè adigendi ſunt inter maxillas, ut dentes nullam linguæ noxam inferre valeant; & dein pluries in die abſtergendum eſt os collyrio *Lanfranci*, & aquâ roſarum cum melle roſaceo.

Sub finem ptyaliſmi abluendum ſæpiſſimè os gargariſmate ex hordei, glycyrrhizæ, roſarum rubrarum decocto, & quartâ parte mellis roſacei parato; attamen bis aut ter in die imbuenda erunt ulcuſcula cum penicillo linteo collyrio *Lanfranci* madido. Poſt quinque aut ſex dies huicce decocto infundi debet vinum rubrum, ut oris ulcuſcula ad optatam cicatricem citiùs, faciliùſque deducantur. Si his auxiliis reſiſtant oris ulcera, imbuenda erunt ſpiritu ſalis aquæ fontanæ temperato, & ſæpiùs in die eluetur os eodem decocto cui admiſcebitur tertia pars aquæ vitæ. Præthereà circumpurgari debent dentes, ut omnis noxa à mer-

curio eis illata auferatur, ut potè quòd temporis ſucceſſu, cariem dentibus induceret, gingivarumque carnem abſumeret. Neceſſum quoque eſt, dentes identidem fricare opiatâ ex ſanguine draconis, & corallo rubro præparatâ; eo enim auxilio præcaventur dentium prolapſus, gingivarumque laceratio. Exhauſto penitùs ptyaliſmo, funditùſque extincto luis venereæ ſeminio, (*&*) tibialia, fœmoralia, induſium detrahenda ſunt, mutanda quoque ſunt lecti lintea, in quo jacet æger, ut omnia

(*&*) Non ex ſolo dierum numero per quos ſub linteis detinetur æger, nec etiam ex quantitate unguenti Neapolitani adhibiti, ſed præſertim ex ſymptomatum, quæ lues venerea produxit, ceſſatione, eruenda eſt luis venereæ ſeminii extinctio. Verùmtamen notandum eſt, quòd adſint plura ſymptomata à lue venereâ conceptâ excitata, quæ hydrargiroſi ſæpè obſiſtunt, quanquam ab eâ eradicitùs fuerit extirpata lues venerea, ut v. g. Skirri, exoſtoſes, herpetes, &c. Utpotè quòd non inducuntur ſolo luis venereæ ſeminio, ſed etiam alia fluidorum labe hydrargiroſi penitùs obſiſtente, quapropter, hydrargiroſi deſtructo viru venereo, remanent ea ſymptomata, auxiliis alteri fluidorum labi adverſis mox oppugnanda.

munda ſint : dein ſumma cutis erit detergenda propè levem ignem primùm oleo amygdalarum dulcium, indè vino rubro tepido, aut aquâ vitæ. Summâ his auxiliis deterſâ cute, in balneum demittendus eſt æger, in quo pro divitibus, ac viris illuſtribus decoquuntur ℔ ij aut iij. amygdalarum amararum excorticatarum, in mortario marmoreo contuſarum, & in ſacculo linteo incluſarum, quibus totum corpus perfricatur, dum in balneo jacet æger : lac etiam virginale guttatim in balneum infundi poteſt, ut gratos ac ſuaves dein ſpiret odores. Ad eumdem finem pro divitibus, ac delicatulis lue intereâ correptis, paramus unguentum Neapolitanum loco axungiæ ſuillæ cum pomatâ jaſmini, [vel unguento mercuriali methodo vulgari parato, jubemus admiſceri guttas aliquot eſſentiæ lavendulæ, aut thymi, &c.]

His peractis ſecabitur vena cubiti, ut caloris ſenſus toti corpori à mer-

curio impreſſus temperetur; craſtinâ die alvus catharticâ potione laxabitur, & poſt purgationem, cibus ſolidior ægro paulatim exhibebitur.

Viribus ptyaliſmo debilitatis, cibo ſolidiori ſemel inſtauratis, uſus lactis aſinini per menſes duos eſt præſcribendus, ut debita ſanguinis conſiſtentia reſtituatur, parteſque balſamicæ remedio deſtructæ, & ablatæ ei impertiantur. Loco lactis aſinini præſcribi poteſt ultimis quindecim diebus lac vaccinum, ut vires remedio, & inediâ debilitatæ citiùs reparentur. Per uſum lactis movebitur alvus decimâ quintâ quâque die, & bis in hebdomadâ uſurpabit æger opiatam abſorbentem horâ ſomni. Si uſûs lactis ſit impatiens ejus ventriculus, loco lactis exhibebuntur cremores, juſcula cancrorum, [ſed præſertim teſtudinum,] prætereà apprimè convenit, quòd per certum temporis ſpatium optimam diætam ſervet æger, ut ſanguis debitam con-

ſiſtentiam, naturalemque fluiditatem omninò recuperet.

Si tempore ptyaliſmi attentè non detergantur oris ulcera, eſcharæ, quibus obducuntur, non auferantur, ſique os attentè non eluatur, diuturnitate ptyaliſmi, craſſitie eſchararum, ulcera altiora ſenſim facta cariem oſſibus maxillarum non ſolùm inferunt; ſed & etiam carnibus nimis ſuccreſcentibus obteguntur, quæ arctè coëundo os ægri ſtringunt. Ab ulceribus etiam oris altioribus, copioſiſſimis ſalivæ excretionibus, adeò ſæpè tument muſculi maſſeteres, temporales, aliique muſculi os claudentes, ut ſi venæ ſectionibus iteratis, potionibus catharticis frequenter exhibitis, & attentâ, ac frequenti oris deterſione, ac ablutione, fluxio in eos irruens non avertatur, ſtricturæ (vulgò *Brides*) efformentur, quæ ſemel efformatæ oris diductioni tam validè obſtant, ut dein toto vitæ ægri curriculo maxilla inferior ſuperiori

riori firmiter applicata detineatur; illud enim ſymptoma ſemel confirmatum inemendabile fit, ut potè quòd nulla adeſt chirurgia nec pharmacia, quæ os ſemel ſtrictum diducere poſſit, ſtricturas auferre, priſtinamque flexibilitatem muſculis maſſeteribus, & temporalibus reſtituere; quocircà attentè præcavendum eſt hocce grave, ac inemendabile malum. *

[Dum ex difficili & doloroſâ oris diductione pertimeſcenda oris ſtrictura, præter iteratam oris ablutionem, ulcerumque deterſionem; aut iteratas venæ ſectiones, & potiones catharticas, ſi ſtricturæ cauſæ expoſtulent, ſuadendum eſt ægro in die ſæpiùs diducere os. Verùm ſi ob dolorem conſilio aſſentiri nequeat, lignei cuneoli utrinque altè adigendi ſunt inter maxillas, vel interponendum eſt *oris ſpeculum*, ut eorum auxilio diducatur os, & præcaveatur criſpatio, & in brevius contractio fu-

niculorum, tendinum, muſculorum temporalium, & maſſeterum, quæ illud grave ſymptoma inferunt.]

DE LINIMENTIS.

[*Linimentum eſt remedium liquidum quo partes affectæ calidè inunguntur.*]

* Linimentum unguento liquidius eſt. Componitur ex axungiis, medullis variorum animalium, ſuccis aut pulpâ plantarum, & ex oleis unà commixtis; vel ex unguentis officinalibus oleo dilutis. In componendis Linimentis non determinatur quantitas olei ad ea paranda neceſſaria, determinatur tantùm doſis aliorum remediorum, ex quibus cum oleo parari debent; nam additur oleum, ut debita fluiditas eis impertiatur, eiſque dein faciliùs inungantur partes; quapropter in formulâ linimenti, addi ſemper debet oleum ad quantitatem ſufficientem ad parandum linimentum.

Uſum habent linimenta in ſcabie, ad diſcutienda ſalia craſſa, quæ in glandulis miliaribus hærentia, eas dilacerant, ſerique ſalſi ſecretionem promovent. Uſum quoque habent ad fugandum lac è mammis, & in eis concretum reſolvendum; ad hæmorrhoïdes pacandas, ad paralyſim, ad tumores ædematoſos reſolvendos, & ad dolores mitigandos. *

LITUS AD SCABIEM.

℞. Oxylapathi ℥viij. coque ad putrilaginem, dein contunde, & per ſetaceum trajice; pulpæ trajectæ adde ſtyracis liquidæ ℥ß. ſucci limonum ℥ij. cum ſ. q. olei roſati fiat linimentum, quo illiniatur corpus per triduum prope ignem ante lecti ingreſſum.

Vel

℞. Florum ſulphuris ℥i. axungiæ ſuillæ non ſalitæ ℥v. olei roſati q. ſ. ſuccum è duobus limonibus expreſſum; agitentur in mortario metallico ad uſum. Huic linimento addi poterit pulpa oxylapathi ad ℥iv; & ſtyrax liquida ad ℥ij.

Sed antequàm inungatur corpus, debet ſecari vena bis aut ter, & præſcribi catharticum cum juſculis lenientibus, & pulveris viperæ granis viginti atteratis, per novem dies repetitis, purgato corpore in principio & fine.

LITUS AD FUGANDUM LAC è mammis, & ad Bronchocelem.

℞. Axungiæ ſerpentis ℥ ß. butyri veteris ℥iſs. agitentur ſimul, & liquentur ad ignem: dein adde ſucci menthæ ℥i. chamæmeli q. ſ. fiat linimentum, quo illiniantur mammæ ter in die, & linteis calidiuſculis conſtringantur, intra viij aut ix dies lac omne ab eis evaneſcit.

Notandum hoc remedium non eſſe uſurpandum, niſi præmiſsâ mammarum ſuctione per aliquot dies. Idem præſtat chærefolium calefactum ſupra laminam ferream, oleo roſaceo irroratum.

Vel

℞. Mellis communis & unguenti de al-

thæa ana ℥iij. radicis ireos florentinæ ℥ß. vel minùs; miſce; fiat litus.

Hic litus in promptu lac reſolvit, ſed debent ſuperimponi folia *braſſicæ*, aut *betæ* manibus antè contrectata.

* Hic Litus effectum ſuum non præſtat, lac ſub tranſpirationis formâ foras amandando, ut nonnulli forſan exiſtimant, ſed id attenuando, majoremque fluiditatem ei impertiendo, ita ut in mammis non amplius moretur lac; ſed mediantibus lymphaticis vaſis in ſubclaviam venam effunditur, quin papillam perrumpat, ut accidit dum eſt craſſius, & ob ſuam conſiſtentiam vaſa lymphatica ſubire nequit. Nam ſciendum eſt, vaſa mammarum lymphatica admittere omnem lympham in mammis ſecretam, & ad ſubclaviam venam eam traducere, ubi ſanguini & chilo permiſcetur, dum gravidæ non ſunt mulieres. Aſt conceptu majorem conſiſtentiam acquirit lympha in mammis, & in lac

mutatur : nec amplius vaſis lymphaticis admittitur ; conſequenter in mammarum veſiculis colligitur, ac hæret, eas dilatat ; dilatantur & quoque ab eâ tubuli lactiferi in extremitate papillæ hiantes, qui tunc pro lactentium pabulo, lacti aditum patefaciunt.

Eadem linimenta adhiberi quoque poſſunt in curatione Bronchoceles, quæ debetur ſæpiſſimè lymphæ aquis nivalibus ſpiſſatæ, & in glandulâ tyroïdeâ hærenti. *

LITUS RESOLVENS

Ad paralyſim & ad tumorem œdematoſum.

℞. Axungiæ ſerpentis & humanæ cum aquâ cinnamomi dilutæ ana ℥iij. gummi ammoniaci ʒiij. pyrethri & zingiberis pulveratorum ana ʒij. ſeminum aniſi, fœniculi & ſinapis ana ʒj. camphoræ ʒß. cum ſ. q. olei nucis moſchatæ fiat litus, quo partes affectæ manè & ſerò illiniantur.

ALIUS BENIGNIOR.

℞. Olei lumbricorum ℥ iv. olei macis ℥ ij. gummi ammoniaci, & ſagapeni ana ʒj. miſce; fiat litus.

Sapo diſſolutus in ſufficienti quantitate aquæ vitæ, vel diſſolutus cum butyro aquæ Reginæ Hungariæ miſto, valet ad humores ſeroſos dolorem excitantes, & artuum ligamenta laxantes, diſcutiendos. Ad rheumatiſmum etiam utimur butyro, ut ſuprà.

LITUS AD HÆMORRHOIDES.

℞. Unguenti populei ℥ ij. vitellos ovorum n°. ij. cum oleo lini fiat litus.

[In vividioribus hæmorrhoïdum doloribus, hic litus efficacior fiet, ſi ei addantur guttæ aliquot laudani liquidi. Pluries huncce morbum ſubſequens litus feliciter debellavit.

℞. Unguenti populei ℥ß. olei ovorum ℥ iß. laudani liquidi gtt. xl. miſce; fiat linimentum.]

LITUS AD ARTHRITIDEM.

℞. Succi raphani, & olei de catellis

ana ℥iij ſpiritûs vini, ſpiritûs ſalis ammoniaci, & laudani liquidi ana ʒ ij miſce; fiat litus, quo inungantur partes affectæ, ſolidiori linteo anteà frictæ.

CAPUT XI.

DE SINAPISMO SEU DE PHOENIGMO,

De Dropace, de Catapaſmate, Diapaſmate, & Empaſmate.

Sinapiſmus eſt medicamentum topicum, molle, paratum ad alimentum in partem languidam trahendum, & ad ſpiritus in eâ ſopitos excitandos. Paratur ex ficubus in aquâ per triduum maceratis, & contuſis cum æquali, vel duplici, vel triplici parte ſinapi.

Vocatur etiam *phœnigmus* ſeu *Rubricans*, quia partes exindè rubeſcunt. Hæc medicamenti formula nunc obſolevit.

Dropax, ſeu *Picatio*, qui apud Veteres iiſdem uſibus inſerviebat ac ſi-

napiſmus, eſt medicamentum topicum, formâ emplaſtri, vel cerati, ad ſtuporem partium paralyſi, & atrophiâ laborantium. Duplex eſt *dropax*, ſimplex, & compoſitus. Simplex fit ex pice & oleo modico, quibus linteum inducitur, parti affectæ calidè admovetur, abraſis priùs pilis, & antequàm perfectè frigeſcat, avellitur: is rursùs ad ignem calefactus, cuti admovetur, & ſimiliter priuſquàm frigeſcat, avellitur; atque hoc ſæpè repetitur.

Compoſitus, præter oleum, & picem, ex quartâ parte vel piperis, vel cinerum ſarmentorum, vel pyrethri paratur; cùm fortiori attractione opus eſt: ſed tali medicamento non utimur.

Catapaſmata dicuntur pulveres odorati, vel ſimplices, vel ex pluribus compoſiti, quibus ad fragrantiam capilli & veſtes inſperguntur. Sumuntur etiam *catapaſmata* pro pulveribus roborantibus, qui ſtoma-

macho poſt litum admoventur. Hoc nomine etiam donantur pulveres *ſarcotici* & *epulotici*.

Empaſmata ſunt pulveres ad ſiſtendos ſudores, quando critici non ſunt, ut vires minùs exſolvantur. Parantur ex gypſo, malicorio, gallis, & ſimilibus aſtringentibus.

Diapaſmata ſunt medicamenta externa, ad ſuavem odorem cuti, aut toti corpori conciliandum. Sumuntur quâcumque formâ aut pulveris, aut unguenti, aut litûs. Horum trium medicamentorum hodiè nullus eſt uſus.

CAPUT XII.

DE SACCULIS, CUCUPHIS, Frontalibus, Oxyrrhodinis, & applicatione animalium.

SAcculi & *cucuphæ* ſunt remedia topica, quæ magni pendebantur à veteribus medicis, ad roboran-

da, & calefacienda tum cor, tum cerebrum, tum alias corporis internas partes. Parabantur ex pulveribus aromaticis, ut ex *lavendulâ*, *majoranâ*, *thymo*, *ſalviâ*, *moſcho*, *ambrâ griſeâ*, &c.

Si bonum ſortiebantur effectum hæc remedia, præſtabant ſanè, reſolutionem excitando; ſed ſatius eſt ad reſolutionem promovendam, uti cataplaſmate, emplaſtro, &c.

Exiſtimandum non eſt hæcce remedia partes internas roborare poſſe, cùm eas non attingant; ſi quem tamen præſtent effectum, id ſanè tribuendum eſt partibus oleoſis tenuiſſimis, ac ſalibus volatilibus, quæ ex pulveribus aromaticis continuò exhalantur, per poros cutaneos in interiora corporis penetrant, humoribus admiſcentur, & excitant illud vitale principium, quod motum impertit cordi, ac ſpiritibus, qui dein copioſiùs appellunt ad organa ſenſuum, motuumque. Idem ſentien-

dum eſt de applicatione animalium per medium ſectorum, quæ admoventur in ſummis debilitatibus, ad exſuſcitandum ſanguinis motum. Admoventur & quoque in agone conſtitutis veteres galli per medium ſecti, aut omaſa vervecina adhuc calentia, ut minimus calor, qui eis ſupereſt, foveatur, ac ſuſtentetur. Minimum quidem afferunt emolumentum hæ variæ applicationes, quibus nimis ſeriò favebant veteres Medici. Nos verò, qui morborum cauſas in ſanguine latere autumamus, pleroſque morbos pravis ſuccis deberi, ea remedia externa parvi pendimus, & æquiùs utimur alterantibus, ac purgantibus ad morbos debellandos. (*a*)

(*a*) In curandis morbis internis parvæ & ſæpiſſimè nullius efficacitatis ſunt applicationes animalium recenter mactatorum, aut eorum partium tepore naturali adhuc calentium; ut potè quod (ut exiſtimavit *D. Barbeirac*) partes internas attingere, & fluidorum vitia emendare nequeant. Verùm ratione adverſâ ſummum afferunt emolumentum in

Verumtamen ea nonnumquàm ſunt ſuadenda, ad explendum præſertim mulierum animum, quæ in fugandis vaporibus in uſum adhuc advocant ſaceulos ſolis aromaticis ſimpliplicibus plenos, quorum odores fragrantes in hoc caſu utiliores ſunt odoribus ambræ & moſchi, quæ ob ſummam particularum ſuarum tenuitatem, vividiorem ſanguinis appulſum ad cerebrum provocant, vaporumque paroxyſmos inferunt.

[*Frontale eſt medicamentum topicum, quod fronti impoſitum, capitis dolore laborantes juvat.*]

Componi ſolent *frontalia* ex refrigerantibus, ut ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus, ex ſeminibus lactucæ, papaveris albi, & ex floribus nimphææ, unà contuſis, &

curandis nonnullis morbis externis, præſertim in contuſionibus ſummis, in quibus totum corpus feliciter obvolvitur pellibus animalium recenter mactatorum, vel ſupra partes graviter contuſas æquè feliciter applicantur animalia per medium ſecta, aut eorum viſcera adhuc calentia.

in aceto maceratis, quæ dein includuntur intrà bina lintea, & fronti ac temporibus applicantur in hemicraniâ.

Linteum ſolum oxycrato madidum, dolorem capitis perſæpè demulcet.

[Sedatur quoque capitis dolor, à ſanguine æſtuoſo, & rarefacto, frontale parato ex lactucâ ſolâ, aut ex acetosâ, aut ex cucurbitâ in mortario priùs contusâ, & intrà bina lintea dein inclusâ.]

Raró hodiè in uſum veniunt *frontalia*, ſicut & etiam *oxyrrhodina*, ſeu *frontalia formâ humidâ*, quæ à veteribus parabantur ex albuminibus ovorum, & aceto acerrimo, & quæ ſtupis cannabinis excepta, fronti ac temporibus ab eis admovebantur, in phrenitide, febribus ardentibus.

Epicarpia ſunt etiam medicamenta topica, quæ regioni pulsûs in carpis manuum applicabantur, ad fu-

gandas febres intermittentes ; ſed hodiè in uſum non ampliùs advocantur. *

CAPUT XIII.

DE CAUTERIIS,

ET TROCHISCIS CAUTERIZANTIBUS.

[*Cauteria ſive fonticuli, ſive fontanellæ ſunt ulcuſcula, quæ in variis corporis partibus cauterio actuali, ſive potentiali excitari ſolent, ad vitioſos ac ſuperfluos humores blandè, & leniter educendos.*]

C*Auteria* præſcribuntur ad ſeroſos humores in parte externâ, aut internâ affluentes evacuandos ; ad fluxiones pulmonum, oculorum, labiorum, dentium, narium &c. Admoventur *cauteria* præcipuè occipiti, vel brachio, vel tibiæ : in infantibus etiam olim fontanellæ ; ſed hujuſ-

modi *pyrotica* ſuturis applicata, nihil valent ad humores evacuandos, quia vix poſſunt evacuare, vel educere humores ſeroſos, cùm applicantur vertici; pravi enim ſucci evacuari debent per partes declives.

Nonnumquàm pone aures inuruntur *cauteria* in fluxionibus oculorum. Cervici admoventur ſæpiſſimè duo parva cauteria, conſpicilli inſtar vitrei, ex utroque ſpinæ latere, interjectâ quintâ aut ſextâ colli vertebrâ: mulieribus verò difformitatis cicatricis vitandæ causâ inter duas ſcapulas, ad latera ſpinæ admoveri debent.

Uſurpantur etiam *pyrotica* ad dolorem iſchiadicum in lumbis; aliquandò ad fluxiones in pedes ruentes, applicantur parti externæ cruris, quatuor aut quinque digitis ſupra genua, ad vitandos tendines, ſed dolorem excitant ob muſculum faſciam latam; ideòque tutiùs inuruntur inferiori tibiæ quatuor digitis infrà genu. Tandem admoventur brachio exter-

no infrà muſculum deltoïdem.

Cauteria tractantur manè & ſerò, piſo in ulcus immiſſo, vel globulo ex ligno hederæ facto, cum chartâ bibulâ, aut folio hederæ arboreæ, ſplenio, & faſciâ; vel cum tela *Gualteri*, quæ ſic paratur.

℞. Ceræ flavæ ℔ iij. terebinthinæ venetæ ℥iv. cinnabaris ℥iij. minii ℥i. radicis ireos florentinæ pulveratæ ʒvj. moſchi gr. iv. omnia ſ. a. liquentur, & miſceantur ſuper ignem, quibus immergatur tela ad uſum.

Poſſunt parari telæ ex æquis partibus axungiæ hircinæ, vel vervecinæ, & ceræ albæ liquatis, & cum anchusâ coloratis. Dum caro ſuperflua ulcus replet, mittitur in illud globulus ex cerâ compoſitus; & ſi luxurient carnes, alumine uſto abſumentur.

Formula præſcribendi cauterium hæc eſt.

Inurantur duo cauteria cervici, inter quartam aut quintam vertebram,

ſpinâ intermediâ, & deciſis eſcharis, diù detineantur ulcera aperta.

Apud Italos *cauteria* ferro candenti [ſeu cauterio actuali] aperiuntur. Apud Anglos ferro abſcinditur cutis: nos verò utimur lapide cauſtico, ex ſarmentorum cineribus, & ſapone facto: [vel ex cineribus clavellatis, & calce vivâ parato, qui cauterium potentiale nominatur, ſicut etiam omnia medicamenta rodentia aut exedentia.]

Præſcribuntur pyrotica per duos annos ad ſummum, ac tandem ut ulcus tendat ad perfectam cicatricem, debet curari piſo minori atque minori, ut ſenſim ſine ſenſu coëat, & ſicceſcat; ſuperimpoſitis linteis tantùm, & non folio hederæ arboreæ.

Trochiſcis cauterizantibus utimur, ad glandulas ſtrumoſas eradicandas, ſublimato corroſivo, aut arſenico cryſtallino factis: præſtat ſublimatum; & hoc modo parantur.

℞. Sublimati corroſivi ℥i. laudani opiatici ʒiij ſuper laminam ferream ex-

ſiccetur laudanum, fiatque pulvis, de quo cum mucilagine gummi tragacanthi fiat trochiſcus, magnitudinis piſi majoris, in glandulam cauſtico jam apertam, & parùm ſcalpello inciſam, immittendus, & per duodecim aut quindecim horas relinquendus; dein debet curari ulcus unguento baſilico, aut digeſtivo ſimplici; intra paucos dies decidit glandula.

[Mitiores fient hi Trochiſci, ſi ſubſequenti modo parentur.

℞. Micæ panis albiſſimi ℥iß. laudani opiatici, & ſublimati corroſivi ana ʒj. miſce & fiant ſ. a. trochiſci magnitudinis piſi.

CAPUT XIV.

DE USU RADICIS THYMELÆÆ.

AD fluxiones ab oculis arcendas, ad curandam ophtalmiam contumacem, aut epiphoram, apponimus aurium lobis jam perforatis fruſtulum radicis *thymelææ*, ut ejus acredine & ardore corrodente, novum excitetur pravorum ſuccorum excerniculum.

Non debet uſurpari niſi ſeptimâ aut octavâ die poſt aurium apertionem, ne in his ingens fluxio excitetur; ſed quatuor primis diebus immittitur funiculus ex goſſypio, vel ex ſerico confectus, quo triduo poſt ſublato, radix ireos noſtratis adhibetur, & ſic præcavetur ingens inflammatio, tutòque poſtmodùm uſurpatur *thymelææ* per ſex menſes, imò & per annum & diutiùs, ſi opus fuerit, ut avertatur fluxio in oculos ruens.

Alii non perforant aures, nec radice *thymelææ* utuntur; ſed cortice caulis ejuſdem ſubfruticis, quo circumvolutâ aure poſticâ excitatur inflammatio, & ulcus in totâ auris circumferentiâ, quo humores magnâ profluunt copiâ.

CAPUT XV.

DE PULVERIBUS EXTERNIS.

* VArii pulveres externè adhibentur, tum ad pediculos necandos, tum ad oſſium exfoliatio-

nèm promovendam, tum ad abſumendas carnes luxuriantes, tum ad hæmorrhagiam inhibendam, tum ad dentes dealbandos, gingivaſque firmandas. *

PULVIS
Ad Pediculos necandos.

℞. Seminis ſtaphyſagriæ, & piperis longi ana ℥ij. miſce; fiat pulvis, quo caput leviter inſpergatur horâ ſomni per triduum, ad capillorum radicem.

PULVIS
Oſſi deſquamans.

℞. Myrrhæ, aloës, ariſtolochiæ rotundæ, ireos florentinæ aut noſtratis ana partes æquales: fiat pulvis oſſi carie affecto imponendus.

* Hodiè rarò adhibentur pulveres oſſa deſquamantes, ſeu exfoliativi, ut potè quòd ſuccedit feliciùs aut oleum *guajaci*, aut oleum *caryophillorum*, aut eſſentia ſeu tinctura *euphorbii*, *myrrhæ*, *aloës* cum ſpiritu vini alkoolizato parata, quæ in oſſa carie affecta penicilli ſubſidio inſtillantur, vel ope linamentorum imponuntur

ſupra oſſa, quæ dein linamentis &c. ſpleniis aridis ſunt contegenda. *

PULVIS
Ad hæmorrhagiam.

℞. Boli Armeniæ ℥ij. ſanguinis draconis ℥i. fiat pulvis vaſi aperto cum goſſypio, vel linamentis apponendus.

Vel

℞. Vitrioli communis ſeu Romani q. ſ. admoveatur parti affectæ.

Colcothar ſeu vitriolum ad rubedinem uſtum, vel oleum vitrioli idem præſtant.

PULVIS
Stipticus exquiſitiſſimus.

℞. Colcotharis pulverati q. ſ. pone in cornutâ, ſuper affunde duplex pondus, vel amplius, ſpiritûs vini ritè alkooliſati; igni reverberii admove; gradatim dein minuatur ignis; evaporetur mixtura ferè ad calcinationem; pulverem tandem minutiſſimum in fundo cornutæ relictum ad uſum ſerva, quem diſſolve in duplici aquæ communis copiâ ad hæmorrhagiam ſiſtendam.

PULVIS
Ad dentes dealbandos.

℞. Corallorum rubrorum præparato-

rum, & porcellanarum pulveratarum ana ℥ij. pumicis præparati ℥i. oſſis ſepiæ ʒi. ſanguinis draconis & cineris tabaci ana ʒij. pulveriſentur ſeorſim, & miſceantur ad uſum.

Cum hoc pulvere poſſunt fieri opiatæ, ſi excipiatur ſyrupo de roſis ſiccis, quibus dein fricentur dentes.

* Radix hederæ magnitudine digiti auricularis, quæ per muros ſerpens, ac eis hærens reperitur, toſta, & in ſpiritu vini extincta, dein ad umbram exſiccata, in pulverem redacta, & melli Narbonenſi permixta, dentes apprimè abſtergit, ac dealbat.*

[Idem præſtat cruſta panis ad nigredinem uſta, melleque Narbonenſi dein excepta.]

OPIATA

Ad Gingivas firmandas.

♃. Terræ ſigillatæ, boli Armeniæ, corallorum rubrorum præparatorum ana ℥iij. oſſis ſepiæ & ſantali rubri ana ʒij. cum ſyrupo cydoniorum fiat opiata gingivis admovenda per menſem, horâ ſomni.

Utatur interim æger gargariſmate aſtringenti, aut aquâ fontanâ, in quâ bullierint lignum lentiſci, & roſæ rubræ, & cui admiſcebitur paululùm ſpiritûs vini.

[Firmantur etiam gingivæ, ſingulo mane bis aut ter os alluendo aquâ vulnerariâ *di Caperon* aquâ fontanâ temperatâ.]

ALIA OPIATA

Ad eumdem uſum.

℞. Chelarum cancrorum, & concharum marinarum ana ℥iij. oſſis ſepiæ, raſuræ eboris, & cornu cervi ana ʒi. conſervæ roſarum rubrarum ℥ij cum ſyrupo de roſis ſiccis, fiat opiata.

PULVIS

Ad fœtorem dentium.

℞. Aluminis rupei ℥i. ſanguinis draconis ℥iij. myrrhæ, ſantali rubri, aloës, & roſarum rubrarum ana ʒiij. fiat pulvis; qui excipiatur ſyrupo de roſis ſiccis, & gingivis apponatur horâ ſomni.

MEDI-

MEDICAMENTORUM CONSTITUTIO.

LIBER TERTIUS, DE *REMEDIIS MEDIIS.*

CAPUT PRIMUM. *DE CLYSTERIBUS.*

CLYSTER, ſeu enema eſt medicamentum liquidum, quod per anum in inteſtina craſſa effunditur.

* Optimum præbet auxilium enema, & multis uſibus deſtinatur: modò enim præſcribitur ad inteſtina

exoneranda materiis in eis ſtagnantibus, modò ad inteſtina lenienda, modò ad æſtum viſcerum imi ventris temperandum, modò ad alvum aſtringendam in pertinacibus diarrhæis, modò ad eam laxandam in obſtinatâ conſtipatione; ſæpè etiam præſcribitur ad detergenda ulcera inteſtina depaſcentia, ad fæces alvinas induratas emolliendas, ad inteſtina acriter ſtimulanda in lethargo, ad diſcutiendas eas materies viſcidas, & pituitoſas, nonnunquam inteſtinorum parietibus adhærentes, quæ enematum benignorum effectui obſtant. Omni itaque morbo conducunt enemata, etenim pernecesſarium eſt ventrem exonerare fæcibus, nimis in eo commorantibus, quæ non ſolùm nimiam diſtenſionem colo, & recto, preſſionemque vaſis ſanguiferis eis adjacentibus inferunt, & exindè nimium ſanguinis ad cerebrum affluxum promovendo, vapores acceſſunt; ſed & etiam mediantibus

vaſis lacteis, ſanguini ſuppeditant ſuccum ſalſum, qui ſanguini permiſtus, ejus motum intendit, æſtumque moleſtum procreat.

In enematibus præſcribendis attendendum eſt 1°. ad diſſolvenda, & dein ad liquorem diſſolventem. Liquor diſſolvens paratur vel ex decocto, vel ex lacte, vel ex aquâ ſimplici: ab eo verò diſſolvuntur tum opiatæ purgantes, ut *catholicum*, *lenitivum*, *diaphænicum*, *diaprunum*, &c: tum *mel*, *ſaccharum*, *olea*, *terebinthina*, *ſyrupi*, *ovorum vitelli*, *laudanum*; &c. quæ omnibus indicationibus enemata ſuadentibus ſatisfaciunt.

Pro enemate paratur decoctum cum radicibus, lignis, herbis, fructibus, ſeminibus, & floribus; ſed rarò cum radicibus, & lignis. Radices pro decocto clyſteris præſcribuntur ad ℥ij. aut iij: folia ad m. ij. aut iij: ſemina, ſi virtute edulcoranti & refrigeranti donentur, ut quatuor ſemina frigida majora, ad ℥i; verùm

ſi calidâ vi pollent, ut ſemina fœniculi, aniſi, ad drachmam tantum unam: fructus, ſi parvi ſint, ad unciam ſemiſſem, aut drachmas ſex; verùm ſi magnitudinem prunorum adæquent, ad paria ſeptem, aut octo: flores ad pugillos quatuor.

In præſcriptione decocti pro enemate præire debent in formulâ, 1°. radices, quia longiori indigent coctione; dein ligna ſi indicentur, cortices, herbæ, ſemina, fructus, & tandem flores. Cùm cathartica ut *folia ſennæ*, *tamarindi*, *colocynthis*, rheum, &c. in enemate præſcribuntur, incoquenda ſemper ſunt in decocto jam facto. Hordeum, quanquàm ſemen, radices præire debet, ut potè quòd longâ indiget coctione. Glycyrrhiza, quanquàm radix, levem coctionem expoſtulat; quocirca flores tantùm præire debet.

Inter radices, quanquàm radix althææ, & ſymphiti majoris aliarum radicum ordini aſcribantur, non de-

bent coqui, niſi poſt herbarum coctionem, ob earum mucilaginem, quæ levi coctione educitur. Notandum quoque eſt herbas intensè amaras, ut *abſinthium*, *centaurium minus*, &c. in ollam eſſe immittendas ſub finem tantùm coctionis, ne longiori coctione nimiam amaritudinem decocto impertiant.

Pro enematibus paratur etiam decoctum cum capitibus, pedibus, omaſiſque vervecis, quod dyſenteriis plurimùm confert. Parantur & quoque enemata ex oxycrato, ex emulſione; imò & etiam ex juſculo communi, ad ſuppeditandam alimoniam, cùm fauces anginâ ſunt præcluſæ, aut cùm pylorus skirro eſt conſtipatus.

Quantitas liquoris pro ætate, & affectûs naturâ diverſa eſt. In infantibus & pueris ab unciis ſex ad uncias decem præſcribitur: in adultis verò à librâ unâ ad libram unam ſemis, niſi morbi ratio contrarium ſuadeat; etenim dum veſica, uterus, in-

teſtinave afficiuntur, minor debet eſſe quantitas, ne tunc nimiâ dilatatione, aut graviori preſſione his viſceribus affectis noxa aliqua inferatur. *

ENEMA BLANDE PURGANS.

℞. Hordei integri p. j. malvæ, violarum, lactucæ & cichorei ana m. j. liquiritiæ ʒij. coq. ad ℔ i. in colaturâ diſſolve pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥i. mellis violacei ℥ij. miſce; fiat clyſter.

Aliud efficacius.

℞. Foliorum parietariæ, malvæ, violarum, & borraginis ana m. ß. vel m. j. florum chamæmeli, & meliloti ana p. ij. coque ad ℔ i. in colaturâ diſſolve catholici pro ore ℥i. mellis violacei ℥ij. fiat clyſter horâ commodâ injiciendus.

* Immitti poteſt enema ex *oxycrato* tepido paratum, quod permultùm confert ad ſummum viſcerum æſtum temperandum, in febre ardenti, in melancholiâ atrabilariâ: prodeſt quoque ad demulcendos ſummos capitis dolores, qui ſanguini æſtuoſo, & rarefacto debentur. *

ENEMA LENIENS.

℞. Lactis caprilli, & decocti hordei ana ℔ ß. ſacchari ℥iß. vitellum ovi unius, miſce; fiat clyſter.

Vel

℞. Foliorum borraginis, malvæ, violarum ana m j. ſeminis lini, & liquiritiæ ana ʒiij. florum malvæ m. j. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve mucilaginem pſyllii, & cydoniorum in aquâ roſarum extractarum ana ℥ij. olei amygdalarum dulcium ℥iß. fiat clyſter ſ. a.

* Hæc enemata apprimè conveniunt in dyſenteriâ, in diarrhæâ bilioſâ, in æſtu viſcerum, in hæmorrhoïdibus, in colico dolore, imò & in nephritide, identidem addendo terebinthinæ venetæ in ovi vitello ſolutæ drachmam unam, & ſyrupi papaveris albi unciam unam.

In dyſenteriâ felici cum ſucceſſu injiciuntur enemata, ex decocto capitis, pedum, & inteſtinorum vervecis parata, quæ ſubſequenti modo ſolent præſcribi. *

℞. Decocti inteſtinorum, & capitis vervecis ℔ j. mellis roſacei ℥ij. miſce; fiat clyſter.

* Initio dyſenteriæ adhibenda ſunt enemata tantùm refrigerantia, & demulcentia, ut præpediatur quominùs materies corroſivæ in inteſtinis nidulantes ea corrodant, aut ſaltem ex nimiâ irritatione vividiſſima ventris tormina, & frequentem deſidendi conatum inferant, quod dyſenteriâ laborantes multùm defatigat: progrediente verò morbo immittuntur enemata detergentia, tum ad exoneranda inteſtina, tum ad ulcera inteſtinorum mundanda. Ad ſedanda ventris tormina, demulcendoſque dolores colicos, quæ hydrargiroſis tempore manifeſtantur, frequentiſſimè injiciuntur enemata ex lacte tepido parata: nos etiam in hoc caſu adhibemus felici cum ſucceſſu, enemata ex materiâ emulſionum præparata, quæ feliciter quoque in dyſenteriâ præſcribimus * Sic:

ENEMA

Cum emulſionum materiâ.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum par. xij. ſeminum quatuor frigidorum majorum ℥i. contunde in mortario marmoreo ſenſim affundendo decocti hordei, & liquiritiæ ℔ j. in colaturâ diſſolve ſacchari roſati ℥ij. fiat clyſter.

* Ut ea enemata magis demulcentia fiant, emulſio extrahi poteſt cum lacte, aut lactis ſero; & in eis deindè diſſolvi mucilago ſeminum cydoniorum, pſyllii; aut ovorum vitelli. *

ENEMA DETERGENS.

℞. Hordei integri p. j. foliorum plantaginis, & burſæ paſtoris ana m. j. roſarum rubrarum p. j. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥ij. fiat clyſter.

Vel

℞. Foliorum plantaginis, millefolii, & agrimoniæ ana m. j. ſeminum cy-

doniorum ʒij. balauſtiorum p. ij. coque ad ℔ i. in quâ coque myrobalanorum citrinorum ℥ß. in colaturâ diſſolve ſyrupi de roſis ſiccis ℥iß. fiat clyſter.

Vel

℞. Radicum althææ ℥ij foliorum plantaginis, millefolii, burſæ paſtoris ana m. j. coque ad ℔. j. in colaturâ diſſolve catholici pro ore ℥i. aut diaphænici ʒvj. mellis communis deſpumati ℥ij. fiat clyſter longè à paſtu injiciendus.

ENEMA MAXIME PURGANS

In affectibus ſoporoſis.

℞. Decocti communis clyſterum ℔ i. vini emetici turbidi ℥iij. aut iv. miſce; fiat clyſter ſtatim injiciendus.

Vel

℞. Decocti emollientis & refrigerantis ℔ i. in quâ coque leviter pulpæ colocynthidis ʒi. in colaturâ diſſolve benedicti laxativi ℥i. mellis mercurialis ℥iß. fiat clyſter.

* Feliciter injiciuntur purgantia enemata in omnibus febrium ſpecie-

bus, imò & etiam in omnibus ferè morbis, ad foras educendos pravos ſuccos, in imo ventre ſtagnantes, ſanguinem ſenſim inquinantes, morboſque foventes.

In curatione variolarum, plures inter veteres ac recentiores medicos adſunt, qui præfractè prohibent enemata, exiſtimando hæcce remedia accerſere diarrhæam in hoc morbo periculo plenam. Aſt certiſſimè errant, utpotè quòd excrementa, quæ in inteſtinis ſtagnant, æſtum his viſceribus procreant, ea ſtimulant, & potiùs quàm enemata anſam præbent diarrhææ ac dyſenteriæ. Nos verò perſuaſum habentes, ſeminium varioloſum in glandulis cutaneis ſecerni, & ope fermentationis è ſanguine extricari, autumamus, enemata in variolis erumpentibus ſummum afferre emolumentum, cùm foras amandent pravos ſuccos, qui in inteſtinis ſtagnant, & accendunt febrim in eruptione variolarum ſummè

pertimeſcendam : in hocce itaque morbo adhibemus benignos clyſteres tum ad interiorem inteſtinorum ſuperficiem lubricandam, horumque calorem temperandam, tum ad alvum leviter laxandam, dum nimis pigra evadit.

Perſæpè obſervatur, cathartica in affectibus ſoporoſis, imò & etiam in pluribus aliis morbis, nullum aut perexiguum ſaltem præſtare effectum. In hocce caſu injiciendum eſt enema maximè purgans, & etiam ex emeticis paratum, ad acriter ſtimulanda inteſtina, ſpiritus animales excitandos, eoſque ad inteſtina vividiori appulſu adducendos, ut inteſtinales glandulæ, in cavum inteſtinorum eructent pravos ſuccos ſanguinem inſpiſſantes, torporemque partibus inferentes. Hâc autem methodo ſæpiſſimè promovetur copioſa per alvum evacuatio, & exſuſcitatur purgantium aſſumptorum actio, quæ ante hâc ob inſufficientes vires alvum movere non potuerunt.

Apprimè convenit clyſterem blandè purgantem injicere, die ante & potionem catharticam. Primus enim primas præparat vias, & craſſas ac duras fœcales materies in craſſis inteſtinis contentas, foràs educendo, actioni cathartici exhibendi favet, æſtumque inteſtinorum, nimiamque ſanguinis agitationem præcavet. Craſtinâ à purgatione die ſecundus injicitur clyſter, ut fæces poſt actionem cathartici in cellulis coli adhuc hærentes, foràs penitùs amandentur.

Valdè commendatur *Hiera picra Galeni* in enematibus ad vermes, præſertim adverſus *teretes*, *cucurbitinos*, & *aſcarides*, qui in colo præſertim, & recto nidulantur, ob aloem à quâ præcipuam virtutem mutuatur hocce electuarium, quæ amaritudine ſuâ eos enecat, & virtute catharticâ eos expellit. Cùm in abdomine latent vermes, ſummè etiam conducit, eos deorsùm advocare enematibus dulcibus, ex *lacte*,

decoctio hordei, paſſularum, ficuum, melle, &c. paratis, dum eodem tempore per os exhibentur amara, quæ ad inferiora inteſtina vermes detrudunt, qui dein cum fæcibus foràs expelluntur.

ENEMA
Contra vermes quoſcumque.

℞. Hordei integri p. j. foliorum portulacæ, cichorei, agrimoniæ, & dentis leonis ana m. j. abſinthii, & centaurei minoris ana p. j. coque ad ℔ i. in quâ diſſolve diaphænici ℥vj. Hieræ picræ Galeni ʒiij. fiat clyſter manè injiciendus.

ENEMA CONTRA TERETES.

℞. Decocti hordei & liquiritiæ, lactis caprilli ana ℔ ſ. in quâ diſſolve medullæ caſſiæ ℥i. mellis nenupharini ℥ij. fiat clyſter.

* In decocto clyſteris pro *cucurbitinis* per leve temporis ſpatium coqui poteſt drachma una pulpæ colocynthidis, ut potè quòd ii vermes ſibi invicem cohærent quâdam mucagine,

quæ ſuperficiei internæ coli eos adnectit, ex quâ difficilè avelluntur.

Per alvum excernuntur nonnunquàm *cucurbitini* vermes tantæ longitudinis, qui pro vermibus *tæniis* ſeu *faſciatis* (de quibus plura narrantur) habentur à nonnullis. Certum tamen eſt nihil aliud eſſe, quàm plures *cucurbitinos*, ſibi mutuò ac mordicùs junctos, quâdam mucagine; nam ſi in muriam eæ fictæ *tæniæ* immittantur, disjunguntur, & in plures *cucurbitinos* abeunt, ut fuimus experti: præterea obſervavimus & quoque, eoſdem ægrotantes per alvum excernere *cucurbitinos*, nunc disjunctos, nunc plures ſibi mutuò connexos. Exindè tamen erui non debet, non adeſſe veras *tænias*; nam adſunt (ut à me & à D. Barbeirac obſervatum fuit) veræ *tæniæ*, ſtupendæ longitudinis, caudâ & capite præditæ, & multis articulis ſpeciem *Ginglymos* referentibus compoſitæ, quibus totum corpus variis in locis flectitur, ac mo-

vetur, ſed rariſſimæ admodùm ſunt. Aſt quidquid ſit de tæniarum naturâ, certiſſimum eſt, aloem, & colocynthidem efficaciſſima præbere auxilia non ſolùm ad diſcutiendas materies viſcidas, quibus ſibi mutuò cohærent vermes; ſed & etiam ad eos ex inteſtinis quibus potenter adnectuntur, avellendos.

Ad eumdem præſtandum effectum feliciter etiam uſurpari poſſunt enemata, ex urinâ recenti parata, quæ eidem indicationi ſatisfaciunt; nam urina, ſalibus acribus, quibus turget, hanc mucaginem attenuat, ac diſcutit, quâ ſuperficiei inteſtinorum adnectuntur vermes. Inſuper *cucurbitini* vermes, ac *tæniæ* præter anxietates moleſtiſſimas, quas inferunt, ſummam corporis maciem inducunt, famemque inexplebilem ſæpè excitant, quòd omnia alimenta aſſumpta devorent, atque abſumant: hoc autem ſymptoma certiùs, quàm alia ſymptomata, indicat vermes cucur-

bitinos, & tæniam in abdomine hoſpitari. *

ENEMA REFRIGERANS.

℞. Foliorum lactucæ, borraginis, cichorei & ſempervivi majoris ana m. j. ſeminum quatuor frigidorum majorum ℥i. florum nymphææ & malvæ ana p. ij. coque ad ℔ i. in colatura diſſolve mellis nenupharini ℥ij. fiat clyſter injiciendus longè à paſtu.

ALIUD

In majoribus ardoribus.

℞. Seri lactis ℔ j. in quâ coquantur cucurbitæ fruſtula ij. in colaturâ diſſolve mellis violacei ℥ij. fiat clyſter.

ENEMA ASTRINGENS.

℞. Radicis ſymphiti majoris ℥ij. plantaginis, verbaſci, & millefolii ana m. j. roſarum rubrarum p. ij. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve ſuccorum plantaginis, & urticæ defœcatorum ana ℥iß. ſyrupi cydoniorum ℥iß. fiat clyſter.

* Quanquàm in diarrhæâ, ac dy-

ſenteriâ præſcribi ſoleant enemata demulcentia, & detergentia, nonnunquàm contingit ob evacuationes alvinas copioſiores imminuendas, immittenda eſſe enemata aſtringentia, in quibus eſt diluenda drachma una terræ ſigillatæ, & par doſis boli Armeniæ. Rarò in enematibus adhibentur alii pulveres aſtringentes, ſed in decocto pro enemate aſtringenti ſæpè concoqui poteſt drachma una malicorii, ut efficacius fiat. *

ENEMA DETERGENS.

℞. Hordei integri p. j. liquiritiæ ℥iij. furfuris macri m. ß. roſarum rubrarum p. ij. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥ij. fiat clyſter.

Aliud efficacius.

℞. Hordei integri p. j. radicis ariſtolochiæ rotundæ ℥iij. agrimoniæ, dentis leonis, & piloſellæ ana m. ß. roſarum rubrarum & hyperici ana p. j. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥ij. fiat clyſter.

* Hæc enemata proſunt in ventris

profluviis, & ſub finem dyſenteriæ ad ulcus inteſtinorum detergendum. In his diſſolvi etiam poſſunt ʒiij. terebinthinæ venetæ in caſu dyſenteriæ inveteratæ. *

ENEMA EMOLLIENS.

℞. Foliorum malvæ, brancæ urſinæ, & violarum ana m. j. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve medullæ caſſiæ recenter extractæ ℥i. fiat clyſter.

Vel

℞. Parietariæ, betonicæ, borraginis, & lactucæ ana m. j. ſeminis lini ℥ß. liquiritiæ ʒiij. prunorum par x. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve mellis mercurialis, & olei amygdalarum dulcium ana ℥ij. miſce; fiat clyſter.

* Hi clyſteres apprimè ſuccedunt ad emolliendas fæces alvinas duriores, ac eas diluendas. Conducunt in *miſerere*; & ad ſedandos dolores colicos, qui huncce morbum concomitantur. Parari etiam poteſt aliud enema emolliens cum ſolo oleo, quòd in hoc caſu fæces alvinas magis emol-

lit, quàm omnia emollientia decocta, ut potè quod aptiſſimum eſt ad penetrandas fœces alvinas, eaſque diluendas, ac earum motum per coli tractum intendendum: nam in cellulis coli ſæpè irretiuntur fœces alvinæ, earumque figuram ſibi induunt, undè nullum adeſt remedium, quòd efficaciùs ab eis extrahere poſſit, quàm emollientia, & ea quæ apprimè eas penetrare poſſunt. *

ENEMA MAXIME IRRITANS

In affectibus ſoporoſis.

℞. Decocti emollientis & refrigerantis clyſterum ℔ i. in quâ coque ſennæ mundatæ ℥ß. ſalis communis p. i. in colaturâ diſſolve benedicti laxativi ʒij. diaphænici ʒiij. fiat clyſter.

Vel

℞. Decocti emollientis ℔ j. in quâ leviter coque tabaci ℥ ſſ. in colaturâ diſſolve catholici pro ore ℥j. fiat clyſter.

* Præter hæc enemata maximè irritantia, adſunt alia, quæ initio hu-

juſce capitis indicavimus, quæ injici quoque poſſunt in affectibus ſoporoſis, aut dum inteſtina inducuntur ſuccis viſcidis, & ſpiſſis, quæ actionem enematum infringunt, & qui *miſerere*, ſeu paſſionem iliacam ſæpè inferunt, fæces alvinas induratas compingendo, & ſuperficiei inteſtinorum eas agglutinando. In dolore nephritico, in colico dolore bilioſo, in cancro, & in aliis doloribus peracutis, ſicut & etiam in immoderato catamæniorum fluxu, immittuntur enemata narcotica, ex laudano, & ſyrupo papaveris parata. Hæc enemata præſtantiſſimum præſtant effectum, ſed narcotica eis debent addi majori doſi, quàm dum per os exhibentur. Ex decocto hyoſciami nunquàm parari debent enemata narcotica, nam hyoſciamus ſtuporem inteſtinis inducit, & convulſiones affert. *

ENEMA NARCOTICUM

℞. Decocti hordei ℔j. in quâ diſſolve laudani opiatici gr. iij. aut iv. fiat clyſter.

* Loco laudani opiatici addi poteſt uncia una ſyrupi papaveris albi. Priùſquam injiciatur enema narcoticum, apprimè conducit expurgare ſordes inteſtinorum injecto alio purgante, & parvâ doſi, ut diutiùs detineatur, faciliùſque expurgentur inteſtina.

Cùm mulieribus paſſione hiftericâ obnoxiis, aut puerperis præſcribuntur clyſteres, decocto clyſteris addenda ſunt folia *artemiſiæ*, *matricariæ*, ac in eo diſſolvendum *catholicum pro ore*, & nunquam caſſia, nec mel: nam præterquàm quòd dulcedo eis non convenit, eam præfractè reſpuunt mulieres, exiſtimando omnia remedia dulcia eſſe utero omninò adverſa. Clyſteres injici debent prægnantibus minori doſi, ob dilatationem uteri, qui preſſionem inteſtino

recto infert, & admittendo clyſteri conſequenter obſtat; præterea nec tunc enemata irritantia ſunt injicienda, ne aliqua noxa utero inferatur, cauſaque detur abortioni: ſed præparanda tantùm ſunt ex decocto refrigeranti, in quo diſſolvi poteſt tum caſſia, tum mel roſatum; vel ex lacte, & decocto hordei ad anaticas partes, in quibus dilui poteſt caſſia, & nenupharinum mel.

Cùm poſt partum detinentur in utero ſecundinæ, immmittuntur enemata, parata ex decocto emollienti, & refrigeranti, in quo diſſolvitur *diaphænicum* & *diaprunum* compoſitum: ei etiam additur vinum emeticum, ut acriter ſtimulatis inteſtinis exſuſcitetur uteri contractio, foràſque dein expellantur ſecundinæ, quæ gravia ſymptomata inferrent, ſi in utero putreſcerent.

Hodiè raro in uſu ſunt enemata *nutrientia*, & *roborantia*, quæ olim parabantur ex juſculo communi,

confectione de *hyacyntho*, & *alkermes*, &c. In his tantùm duabus circumſtantiis adhibentur, nempè 1°. dum fauces anginâ ſunt ita præcluſæ, ut alimenta nullo modo deglutiri poſſint; 2°. dum pylorus skirro ita eſt conſtipatus, ut nihil chimaceæ paſtæ in inteſtina detrudi poſſit. Hæc enemata parantur nunc ex ſolo juſculo communi. Verùm priuſquàm in inteſtina injiciantur, ſordes inteſtinorum craſſorum expurgandæ ſunt, injecto enemate purgante, ne earum miſcelâ corrumpantur enemata nutrientia. Subſequenti modo præſcribi ſolent hæc enemata.

℞. Juſculi communis ℔ i. fiat clyſter nutriens, quartâ quâlibet horâ injiciendus, per ſemi horam retinendus, imò & diutiùs, ſi poſſit æger.

Quævis hora opportuna eſt ad injiciendum clyſterem, dum dolor urget, aut neceſſitas inſtat, alioquin eligenda eſt hora commoda. Hora opportunior

opportunior eſt matutina, quòd ventriculus omni alimento tunc eſt expeditus, & excrementa in colo congeſta ſunt: intereà tamen ſerotinâ horâ injici poteſt, tribus aut quatuor horis à cibo, ne coctio interpelletur. Verùm ſi ſolis juſculis nutriatur æger, unâ aut alterâ poſt juſculum horâ immitti debet enema.

Quâlibet die per totum morbi decurſum injiciuntur enemata, imò etiam toto convaleſcentiæ tempore, dum nimis pigra eſt alvus, ad fæces alvinas diluendas, interiorem inteſtinorum ſuperficiem lubricandam, horum calorem temperandum, conſequenter ad alvum laxandam; hoſce effectus eximiè præſtat ſubſequens enema laxans, quod hodiè frequentiſſimi eſt uſûs.

℞. Aquæ fontanæ tepidæ ℔j. olei olivarum, vel amygdalarum dulcium cochlearia iij. fiat clyſter horâ commodâ injiciendus.

Immitti poſſunt in morbis urgen-

tibus quâlibet die duo, aut tria enemata, uti v. g. in *dolore nephritico*, *in paſſione iliacâ*, *in colicâ bilioſâ*, &c.

Pro infantibus parantur enemata ex decocto hordei, lacte & melle roſato, &c. doſi ſemper ætati accommodatâ. *

ENEMA PRO INFANTIBUS.

℞. Hordei integri p. j. paſſularum ℥iij. liquiritiæ, & ſeminis lini ana ℥i. coque ad ℥vj. colaturæ adde catholici pro ore ℥ß. mellis roſati ℥i. fiat clyſter.

* Parari etiam poſſunt pro infantibus cum foliis emollientibus, & refrigerantibus, dum eorum alvus eſt adſtricta, quorum decocto adduntur pulpæ caſſiæ ſemi-uncia, & mellis roſati uncia una. Rarò infantibus præſcribuntur enemata irritantia, frequentiùs eis injiciuntur enemata edulcorantia & laxantia ex lacte v. g. & decocto hordei parata. *

[Plures ſæpè inveniuntur ægri, ſed præſertim infantes, qui febrilibus acceſſibus correpti, kinamkinam,

aliaque febrifuga omninò reſpuunt ; in hoc caſu ad compeſcendos febriles paroxyſmos præſcribenda ſunt enemata febrifuga, quæ parari poſſunt ex decocto *abſinthii minoris*, *centaurii minoris*, *chamæpytios*, *chamædryos*, *chamæmeli*, *kinækinæ*, ſed frequentiùs ex ſolo kinækinæ decocto præparantur : ſubſequenti modo præſcribi ſolent hæc enemata.

ENEMA FEBRIFUGUM.

℞. Kinækinæ in pulverem redactæ ℥i. aquæ fontanæ ℔ij. bulliant uſque ad mediæ partis conſumptionem, dein abſque ullâ expreſſione trans linteum cola decoctum, fiatque clyſter febrifugus, quartâ quâlibet horâ die intermiſſionis injiciendus, per ſemihoram retinendus, imò & diutiùs, ſi poſſit æger.

Priuſquàm hoc enema febrifugum in anum injiciatur, ſordes craſſorum inteſtinorum ſunt expurgandæ injecto alio laxante enemate, ut diutiùs retineatur, & efficaciorem præſtet

effectum. Hæc enemata omni ætati, ac temperamento exhiberi poſſunt, minuendo ratione ætatis doſim kinækinæ, quæ infantibus præſcribi debet à drachmis duabus, ad ſemiunciam: in adultis verò ab unciâ ſemi, ad unciam unam; verùm eorum uſus eſt interdicendus dum ſummè æſtuant viſcera, totum abdomen tumet, & acriter dolet, & inflammantur hæmorrhoïdes.]

CAPUT II.

DE GARGARISMATE.

[*Gargariſma eſt medicamentum formâ liquidum, quod in ore contentum diù circa fauces agitatur.*]

* FIunt gargariſmata ex vino meraco, ex lacte, ex oxycrato, ex ſpiritu vini aquâ temperato; vel ex decoctione ſimplicium, aut ex aquis ſtillatitiis, quibus admiſcentur,

ac diſſolvuntur, *mel*, *ſyrupi*, *ſucci*, *pulvereſque varii*.

Præparantur gargariſmata ad mitigandum dolorem, ſiſtendamque inflammationem *tonſillarum*, *uvulæ*, *linguæ*, *palati & gingivarum*, ad ſalivæ acrimoniam demulcendam, ad ſuccurrendum oris excoriationibus, & aphtis; ad detergenda ulcera oris, tempore ptyaliſmi, & tandem ad firmandos, atque abſtergendos dentes, ſimulque gingivas.

In præſcribendo gargariſmate attendendum eſt ad liquoris quantitatem & ad diſſolvenda. Liquoris quantitas libram unam, & ſemiſſem nunquàm excedere debet, in quâ diſſolvitur mel, ad unciam unam, & ſemiſſem aut ad ſummum ad uncias duas: ſyrupi verò convenientes diſſolvuntur ad uncias tres, quatuor, aut quinque: pulveres gargariſmati admiſcendi præſcribuntur ad drachmas duas, imò etiam ad ſemi-unciam, ſi acres non ſint. Radices, herbæ, &c. ex

quibus paratur decoctum pro gargariſmate, præſcribuntur mediâ doſi juleporum. *

GARGARISMA

Refrigerans & leniens.

℞. Foliorum ſemper vivi majoris, lactucæ, & borraginis ana m. i. florum malvæ m. ß. coque ad ℔ i. in colatura diſſolve omphacii clarificati ℥iv. fiat gargariſma, quo frequenter os colluatur.

Vel

℞. Foliorum umbilici veneris, & plantaginis ana m. i. florum nymphææ p. ij. coque ad ℔ i. in colatura diſſolve ſacchari candi ℥i. fiat gargariſma.

* Optimum, mirumque præſtat effectum in oris inflammatione ſal prunellæ, ad drachmas tres in ſuprà præſcripto gargariſmate diſſolutum, ſicut & etiam ſal ſeu ſaccharum *Saturni*, ad drachmam unam; verùm nigredinem hoc gargariſma à ſale acido dentibus tunc conciliat, quaprop-

ter ſatiùs eſt adhiberi omphacium, quod iiſdem indicationibus ſatisfacit, quin nigredinem dentibus inferat.

Hocce gargariſma refrigerans, & leniens feliciter adhibetur in omni tonſillarum inflammatione, præſertim dum ſummæ ſanguinis acredini, ejuſque ſummo calori debetur, ut in omni febris ſpecie, ac in anginâ, quæ phtiſeos, ac peripneumoniæ eſt ſymptoma; verùm ſi cruditatum ventriculi proles ſit, aut aëris frigidi, vel alicujus ſucci acidi, quæ eam acceſſunt, denſando ac coagulando in *tonſillis* illum lymphaticum humorem, in his ſecretum; tunc loco illius gargariſmatis frequenter alluendum eſt os aquâ vitæ purâ; aut pro delicatulis aquæ fontanæ cochlearibus aliquot temperatâ, ut ille tonſillarum humor ſpiſſatus attenuetur, & fluidior fiat, textum illarum glandularum faciliùs dein permeet ſanguis, penitùſque diſcutiatur inflammatio: in hoc caſu mirum præſtat

effectum gargariſma ſubſequens. *

GARGARISMA

Reſolvens & detergens.

℞. Foliorum meliſſæ m. j. florum chamæmeli, meliloti, & ſambuci ana p. j. coque in aquâ hordei ad ℔ i. in colaturâ diſſolve ſalis ammoniaci ʒi. fiat gargariſma.

Vel

℞. Corticis mediani ſambuci ℥ß. agrimoniæ m. i. foliorum calaminthæ, & pulegii ana m. ß. florum ſtæchados & anthos ana p. i. coque ad ℔ i. in colaturâ diſſolve ſacchari candi ℥i. fiat gargariſma.

GARGARISMA

Refrigerans et leniens

In initio inflammationis, cum aquis ſtillatitiis.

℞. Aquarum plantaginis, & liliorum ana ℥vi. ſacchari candi ℥i. omphacii ℥ij. fiat gargariſma.

* In hocce caſu colluere os etiam poſſunt ægri oxycrato tepido, ſed

dentibus nigredinem conciliat, ut ſaccharum *Saturni*. *

GARGARISMA LENIENS In oris & tonſillarum acredine.

℞. Foliorum ſemper vivi majoris m. j. caricarum pinguium par. vj. florum malvæ m ß. coque in aquâ hordei ad ℔i. in colatura diſſolve ſyrupi de ſymphito, aut de nymphæa ℥i. fiat gargariſma.

* Magno cum ſucceſſu præſcribitur id gargariſma in omnibus oris inflammationibus, ſcilicèt *tonſillarum*, *palati*, *uvulæ*; in anginâ acredine & ſiccitate ſtipatâ, in variolis, dum os puſtulis varioloſis eſt obſeſſum; ſed tunc loco ſyrupi de *ſymphito*, aut *de nimphæâ*, in eo eſt diſſolvendus, ſyrupus de *moris*.

[Adſunt plures homines, qui minimâ de cauſâ anginâ inflammatoriâ corripiuntur, à tonſillarum tumefactione inductâ, & qui ad præcavendum hocce incommodum feliciter fuere uſi ſubſequenti gargariſmate.

℞. Foliorum pervincæ m. i. ſpicas hordei intra digitos tantùm contuſas n°. v. roſarum rubrarum p. ij. coque in aquâ fontanâ ad ℔j. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥i. fiat gargariſma ad uſum.

Hocce gargariſmate leviter tepido, hiberno præſertim tempore, uti debent ii, quorum minimâ de cauſâ tument tonſillæ, bis aut ter ſingulo manè antequàm aërem externum inſpirent; cui etiam identidem addi poteſt cochlear unum aut alterum aquæ vitæ. Ad eumdem effectum præſtandum pro gargariſmate uti quoque poſſunt ſolo in aquâ decocto vincæ pervincæ, quæ medio Septembri rectiùs, quàm alio quovis tempore colligitur.]

Infantibus non ſunt præſcribenda gargariſmata, quòd ægrè admodùm gargarizent; dum itaque aphtæ, aut ulcera os eorum depaſcuntur, loco gargariſmatis paratur mixtura ex aquâ plantaginis, omphacio & melle

roſato ad uncias duas, in quam immergendum eſt extremum digiti indicis, linteo tenui obvoluti, quocum dein hâcce mixturâ imbuto pluries in die detergendæ ſunt aphtæ, aut oris ulcera.

Uſus gargariſmatum apprimè conducit in aphtis, & aliis oris ulceribus; & etiam plurimùm confert ea identidem tangere collyrio *Lanfranci*, aut ſpiritu *vitrioli* aut *ſalis*. [cujus actio pro delicatulis melle Narbonenſi eſt temperanda] imò etiam lapide infernali, ſi contumacia fiant; aſt ſi levia ſint, ea omninò eradicat ſolus lapis vitrioli, quo bis aut ter in die ſunt tangenda. *

GARGARISMA DETERGENS

In aphtis & ulceribus oris.

℞. Hordei integri p. i. foliorum agrimoniæ m. i. liquiritiæ ʒiij roſarum rubrarum p. ij. coque ad ℔i. in colaturâ diſſolve mellis roſacei ℥i ß. fiat gargariſma.

* Id gargariſma in uſum etiam advocatur, ſub finem ptyaliſmi, ab hydrargiroſi excitati, ad detergenda ulcera; ſed præſertim dum nimis copioſus eſt ptyaliſmus, totumque os eſcharis eſt obſeſſum. *

[Subſequens gargariſma ſæpiſſimè fugavit aphtas, & alia oris ulcera, quæ pluribus gargariſmatibus diù reſtitere.

℞. Foliorum caprifolii m. j. coque ad ℔ i. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥i. fiat gargariſma, quo in die pluries abluendum eſt os.

Efficacius adhibetur ſubſequens, dum obſtinatæ fiunt aphtæ.

℞. Foliorum caprifolii m. i. ſummitatum rubi p. ij. hordei integri p. j. coque ad ℔ i. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥i. fiat gargariſma ad uſum memoratum.]

GARGARISMA

Detergens & leniens.

℞. Hordei integri p. j. foliorum agri-

moniæ m. i. caricarum pinguium par. vj. liquiritiæ ʒiij. florum malvæ p. i. coq. ad ℔.j in colaturâ diſſolve mucaginis ſeminum pſyllii, & cydoniorum in aquâ roſarum extractæ ℥i. fiat gargariſma.

GARGARISMA

Maximè detergens in majoribus ulceribus.

℞. Radicis ariſtolochiæ rotundæ ℥ß. ſummitatum abſinthii minoris, & hyperici ana p. iß. coque ℓ. in decocto roſarum rubrarum ad ℔i. in colatura diſſolve mellis roſati ℥i. fiat gargariſma, quod efficacius fiet, ſi addantur ℥ij. collyrii *Lanfranci*, aut ℥iij. primæ aquæ calcis clarificatæ, aut ℥iß. ſucci chærefolii defœcati.

GARGARISMA DETERGENS

In Scorbuto.

℞. Hordei integri m. ß. foliorum pimpinellæ, agrimoniæ, & capillorum veneris ana m. j. ſummitatum hyperici, & roſarum rubrarum ana p. i. coq. ad ℔ iß. in colatura diſſolve

mellis roſati ℥iß. fiat gargariſma.

Debent priùs ulcera gingivarum tangi collyrio *Lanfranci* ſemel in die per duas hebdomadas, quàm utamur prædicto gargariſmate.

Poſtquàm per duos menſes fuerimus uſi hoc gargariſmate, ſubſequenti utendum erit, ſicut & etiam opiatâ ſuprà deſcriptâ, ad firmandas gingivas, & ad ſanguinem ex eis fluentem ſiſtendum.

GARGARISMA

Gingivas firmans, & ſanguinem ex eis fluentem ſiſtens.

℞. Ligni lentiſci ℥iß. roſarum rubrarum & balauſtiorum ana m. ß. coque ad ℔ i. in colatura diſſolve aluminis rupei ʒiij. fiat gargariſma.

GARGARISMA

Ad dentium dolores.

℞. Corticis mediani ſambuci ℥ß. florum anthos m. ß. coque ad ℔ i. fiat gargariſma.

* Ad demulcendum dolorem dentium, allui etiam poteſt os aquâ vitæ, præcipuè ſi dentium dolor carie, aut fluxione ab aëre frigido productâ ſit ſuſtentatus: ſi à carie, liquor ſubſequens eſt ſpecificus ad imbuendam cariem, auferendaſque materies, quæ morâ majorem denti noxam, ſummamque nervo irritationem inferrunt. *

LIQUOR AD DENTIUM CARIEM.

℞. Radicis pyrethri ℥ij. caryophillorum ℥iß. zingiberis ℈i. omnia craſſiuſculè pulverata, ſimulque mixta imponantur in matracio, iiſque affundantur ſpiritûs vini ℥iv, ritè digerantur ſuprà cineres calidos per xxiv. horas, tincturam filtra, eique adde oleum camphoræ ʒß.

Paratur autem oleum camphoræ, diſſolvendo camphoram craſſiuſculè tritam in ſpiritu nitri, tum oleum caphuræ ſpiritui ſupernatans habebis, à quo ſ. a. ſeparandum.

* Si dolor dentium non à carie,

ſed ab æſtu oris ab aliquâ fluxione producto foveatur, fauſtè tunc alluitur *os oxycrato*, aut *omphacio* æqualibus partibus aquæ plantaginis mixto.

Tempore ptyaliſmi ad temperandum oris æſtum ptyaliſmo inductum utimur lacte tepido, quod diutiùs in ore eſt retinendum.

Opiatæ rectiùs purgant dentes quàm gargariſmata, quocirca eis ſunt præponendæ. Aqua vitæ aquâ fontanâ temperata, ad eumdem effectum præſtandum multùm etiam confert.

Cùm dentes multùm ſordidi ſunt, ii fricandi leviter, quin gingivæ defricentur, parvo bacillo è ligno *lentiſci*, cujus extremum paniculum (Gallicè *Houpe*) referat. In hocce caſu fricari quoque poſſunt dentes radice *biſmalvæ*, in decocto *ſantali rubri* coctâ, & ſanguine draconis dein præparatâ.

CAPUT III.

DE AQUIS VULNERARIIS, ET DE INJECTIONIBUS.

PRo vulneribus, atque ulceribus eluendis, ac detergendis, parantur aquæ vulnerariæ, quæ nihil aliud ſunt quàm decoctum radicum, lignorum, corticum, foliorum, florum, ac ſeminum vi deterſivâ pollentium; id eſt ſale acri ſcatentium, aptiſſimo ad diſſolvendas materies in vulnerum, atque ulcerum fundo ſtagnantes. Certum eſt enim quòd vulnerandùm ritè purgata ſervantur, omnes eorum ſinus ad fundum uſque aperiuntur, puriſque ſtagnatio in eis præpeditur, ad perfectam cicatricem citò, facilèque deducantur. Perſuaſus omninò ſum, ſordibus, inattentâque Chyrurgorum tractatione ſæpè foveri ulcera, quæ ad perfectam cicatricem uſu alicujus aquæ

vulnerariæ diducerentur; etenim pus quòd in eis ſtagnat, bonam ſanguinis appellentis conſtitutionem pervertit, ulceraque contumacia reddit. Ad eum pravum effectum præſtandum, multùm & quoque conferunt emplaſtra ſuperpoſita, quæ perſpirationem inhibendo, novas ulceribus fluxiones inferunt.

Paratur aqua vulneraria cum aquâ fontanâ, vel cum vino albo, aut rubro. Simplicia ad eam parandam præſcribuntur, doſi apozematis mediâ. Decoctum vulnerarium libram unam ſemiſſem aut ad ſummum libras duas excedere nunquàm debet. In eo diſſolvuntur mel, aut ſaccharum ad uncias duas, aut ei adduntur aqua calcis ad uncias tres, collyrium *Lanfranci* ad ſemi unciam, variique pulveres ad drachmas duas, aut tres. *

DECOCTUM VULNERARIUM

Ad ulcus vetuſtum detergendum, exſiccandum.

℞. Radicum ariſtolochiæ rotundæ, &

gentianæ ana ℥i. foliorum ſcordii, centaurii minoris, & abſinthii ana m. j. ſummitatum hyperici & roſarum rubrarum ana p. ij. coque ad ℔ iß. in vino albo: in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥ij; dein adde aquæ calcis purificatæ ℥iij. fiat decoctum vulnerarium.

Hoc decocto foveatur ulcus ſordidum, bis aut ter in die, & ex eodem fiat injectio in ulcus, ſi ſit fiſtuloſum aut ſinuoſum.

AD ULCUS LEVITER DETERGENDUM.

℞. Hordei integri m. ß. foliorum agrimoniæ, piloſellæ, & ſaniculæ ana m. ß. roſarum rubrarum p. ij. coque in aquâ fontanâ ad ℔ iß. in colaturâ diſſolve ſalis kali ℥ij. hoc decocto foveatur identidem ulcus.

* Loco ſalis kali, in hoc decocto diſſolvi poteſt ſaccharum album ad uncias duas, ſi levis tantùm deterſio ſit excitanda. Nulla adeſt aqua phagædenica præſtantior aquâ calcis, in quâ fuit diſſolutum ſublimatum cor-

roſivum: dum itaque ulcus ſordidum eſt detergendum, carneſque molliores ſuccreſcentes ſunt abſumendæ, eâ utendum eſt, & dein aquis vulnerariis, ut melior carnium geneſis promoveatur. Ad abſumendas ulcerum calloſitates, mollioreſque carnes, nonnunquàm etiam utimur *lapide infernali*, aut *alumine uſto*, quo partes abſumendæ inſperguntur; vel præcipitato rubro, quin ignem *reverberii* fuerit paſſum; imò & etiam *lapide cauſtico liquato*, qui ad eos effectus præſtandos aliis feliciùs ſuccedit, utpotè quòd ex ſalibus alkalinis fixis totus componitur, quæ citiùs ac meliùs detergunt ulcera, quàm acida fixa, quæ lympham nutritiam in ulceribus ſæpè denſant, ſicque novæ carnium molliorum, ac calloſitatum geneſi dant anſam. *

DECOCTUM VULNERARIUM
Ad ulcus virulentum, & ſtrumoſum detergendum.

♃. Radicis ariſtolochiæ rotundæ, & lig-

norum ſantallorum ana ℥vj. ſummitatum abſinthii minoris, hyperici, & roſarum rubrarum ana m. ß. coque in vino albo, aut rubro ad ℔ iß. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥ij. deinde adde præcipitati rubri mercurii ℥iij. Hoc decocto foveatur ulcus, aut fiat injectio ex ipſo, ſi ſit fiſtuloſum.

* Cùm ulcera ſtrumoſa hocce decocto, aliiſque auxiliis probè fuere deterſa, eis imponendum eſt, hiberno præſertim tempore, emplaſtrum *de vigo cum mercurio*: æſtivo verò tempore, folia tantùm *ſcrophulariæ majoris* eis ſunt applicanda.

Injectiones ab aquis vulnerariis differunt tantùm, in eo quod in quaſcumque partes internas per ſyringam immittantur, ut in pectus ad empyemati ſuccurrendum; in urethram, ac uterum ad ulcera earum partium eluenda ac detergenda; in aures, tum ad dolorem mitigandum, tum ad inflammationem minuendam, tum ad ulcera quæ has partes ſæpè depaſcuntur, detergenda; imò etiam ad

medendum ſurditati, ac gravi auditui. Si poſſibile ſit. *

INJECTIO AD EMPYEMA.

℞. Hordei integri m. ß. foliorum agrimoniæ, capillorum veneris ana m. ji rosarum rubrarum p. ij liquiritiæ ʒiß. coque in aquâ fontanâ ad ℔ iß. in colaturâ diſſolve mellis roſati, vel ſacchari candi ℥ij; vel ſyrupi de roſis ſiccis ℥iß. hujus decocti fiat injectio ſingulis vicibus ad ℥iv. vel vj.

* Si pus è vulnere emanans fœtidum ſit, huic decocto addendæ ſunt radix ariſtolochiæ; & ſummitates hyperici.

Initio gonorrhϾ virulentæ nunquàm adhibendæ ſunt injectiones, præter injectionem lactis tepidi, dum nimis ardens, doloroſa, ac *chordata* eſt. Verùm ſub fine, cùm penitùs eſt extinctum virus venereum, & materia non eſt ampliùs purulenta, ſed ad inſtar aquæ tantùm limpida, immitti poſſunt in urethram injectiones deterſivæ, & mox aſtringentes,

ut reſtringantur extrema vaſorum excretoriorum proſtatarum, [ſeu rectiùs proſtalæ] & veſicularum ſeminalium, quæ relaxata fuere pure, cui continuò additum offerrebant.

Chyrurgi, qui injectionibus gonorrhæam virulentam ſe curare gloriantur, ſuadent uſum injectionum ſtypticarum & aſtringentium, ſed perperam; nam lupum ovili condunt: etenim eæ injectiones, quæ in urethram tantùm penetrant, atque ad ulcus non pertingunt, oſtiola ſeminariorum conceptaculorum tantùm ſtringunt, ac ſeminis virulenti effluvium cohibent, ita ut dein non ſolùm luem veneream inferant, verùm & etiam ſeminariorum conceptaculorum majorem inflammationem inducant, quæ ſeriùs ociùſve in verum abſceſſum abit, in perinæo aut in veſicâ ſibi viam mox parantem, qui urinæ ſuppreſſionem, aut gangrænam inferre poteſt. Injectiones itaque in gonorrhæâ virulentâ inconſultò

non ſunt adhibendæ, ne temerè cohibeatur ſeminis virulenti effluvium; & dum ſunt adhibendæ, immittendæ ſunt deterſivæ injectiones, nunquàm aſtringentes, niſi materia ab urethrâ promanans ad inſtar aquæ limpida ſit, quod apprimè denotat virus venereum eſſe extinctum, ulcus eſſe deterſum, ac curatum; ſphincteres verò proſtatarum eſſe laxatos. *

INJECTIO

Ad gonorrhæam inveteratam.

℞. Hordei integri m. ß. liquiritiæ ʒiij. roſarum rubrarum p. ij. coque in aquâ fontanâ ad ℔ ij. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥iß. hoc decocto fiat injectio in penem, bis in die per xv. dies.

Hâc injectione quindecim dierum ſpatio adhibitâ, in uſum advocabitur ſubſequens

INJECTIO MAGIS DETERSIVA.

℞. Radicis ariſtolochiæ rotundæ ℥ß. hordei integri m. j. roſarum rubrarum, ſummitatum

ſummitatum hyperici ana p. ij. liquiritiæ ℥ij. coque in aquâ fontanâ ad ℔ iß. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥iß. fiat injectio, &c.

* Poſtquàm hocce decocto magis deterſivo octo injectiones in penem factæ fuerint, ei addendæ erunt unciæ quatuor primæ aquæ calcis ritè clarificatæ, quo dein continuabuntur injectiones per quindecim dies, quibus elapſis, adhibebuntur etiam; ſed loco aquæ calcis, decocto jam memorato addentur drachmæ duæ collyrii *Lanfranci*, quod aliis auxiliis præſtantius eſt, ad detergenda & ulcera conſolidanda.

Adhibitis ſemel his omnibus injectionibus, ſi leve aliquod effluvium adhuc perſtet, utendum eſt injectione ſubſequenti, ut ſtringantur proſtatarum oſtiola, cohibeaturque ſeroſum profluvium, quod poſt gonorrhæam ſupereſt, ac contumax, curatuque difficilè fit, ſi methodo ſuperiùs enarratâ non debelletur.

INJECTIO GONORRHÆAM SISTENS.

℞. Hordei integri m. ß. ligni lentiſci ℥ß. foliorum plantaginis m. j. roſarum rubrarum m. ß. coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve mellis roſati ℥iß. aluminis rupei ʒß. fiant injectiones.

* In hocce caſu fieri poſſunt injectiones cum aquæ plantaginis aut potiùs hujuſce ſimplicis decocti unciis octo, in quibus diſſolvenda eſt drachma ſemiſſis ſalis *Saturni*:verùm cautè adhibendæ ſunt hæ injectiones, nam ob ſal Saturni debilem erectionem faciunt.

Cohibet etiam gonorrhææ profluvium, vitriolum album ad grana duodecim, in aquæ roſarum, aut plantaginis librâ unâ ſolutum.

Sub fine gonorrhææ adhibemus injectiones ex ſolâ aquâ fabrorum tepidâ paratas, quæ non ſolùm exſiccat, verùm etiam oſtiola nimis laxa ſtringit. Lapis medicamentoſus *crollii*, *tinctura vitrioli*, *colcothar*, & alia remedia aſtringentia, quæ in hoc

caſu à nonnullis multi penduntur, nimiam irritationem inferunt, ut feliciter adhibeantur.

In mulieribus gonorrhæâ virulentâ laborantibus eadem adhibetur methodus; primò enim in vaginam leviter deterſivæ injectiones fiunt, dein verò magis deterſivæ immittuntur, ut rectè eluantur, atque abſtergantur vagina, collum uteri, ac lacunæ, quæ ordinariò ſunt ſedes gonorrhææ in fœminis: quanquàm perdifficilè ſit, eas injectiones in eas lacunas penetrare, atque ad glandulam urethram ambientem, duplicique oſtiolo in vulvam dehiſcentem, pertingere poſſe.

In ulcere, ac uteri cancro eædem ferè injectiones adhibentur ac in empyemate. *

INJECTIO PRO GRAVI AUDITU.

A ſordibus meatum acouſticum obſtruentibus.

℞. Aquarum fœniculi, & meliloti ana

℥iv. in quibus infunde ſeminum aniſi, & fœniculi ana ʒij. colaturæ adde aquæ vitæ ℥ij. miſce; fiat injectio in aures manè, & ſerò.

ALIA PRO GRAVI AUDITU.

℞. Aquæ fraxini ℥vj. ſpiritûs vini ℥ij. miſce; & hujus mixturæ guttæ aliquot tepidè inſtillentur in aures bis in die per menſem.

Si adſint ulcera ſordida in meatu auditorio, debent aliquot guttæ tincturæ *myrrhæ*, aut *aloës* inſtillari in aures, ad ulcus detergendum, ſordeſque diluendas.

In inflammatione aurium utendum eſt oleo amygdalarum dulcium, cum goſſypio in aurem inſtillato; aut lacte tepido: tinctura ſequens eſt etiam præſtantiſſima.

℞. Aquæ roſarum ℥iß. laudani opiatici gr. iv. miſce; fiat injectio, cujus guttæ aliquot inſtillentur in aurem affectam.

* Cùm in veſicâ latet calculus, imò etiam poſt lythotomiam, ſæpè

in veſicâ perſentiuntur dolores vividi, calorque præfervidus, quibus feliciter ſuccurrit ſubſequens injectio. *

INJECTIO

Ante & poſt lithotomiam.

℞. Hordei integri m. ß. liquiritiæ ℥ß. florum malvæ p. ij coque ad ℔ j. in colaturâ diſſolve ſacchari candi ℥i. fiat injectio per urethram.

CAPUT IV.

DE ERRHINIS

Et maſticatoriis ſeu apophlegmatiſmis.

*ERrhina ſunt remedia quæ naribus inſpirando attrahuntur, vel in eas immittuntur ad ſternutationem proritandam, foraſque educendos mucoſos, ac ſeroſos humores.

Proſunt hæc remedia in affectibus ſoporoſis, ad ægros ſopitos ſuſcitandos; in partu languido, ad ſecundinas, & fœtum ex utero expellendum n gravedine, ad mucum educendum

Conveniunt etiam in ophtalmiâ pertinaci, in cataractâ, epiphorâ, ſurditate, aliiſque affectibus à decubitu humorum pendentibus, ad humorum decubitum avertendum, foràſque eos educendos; nam ab irritatione membranæ pituitariæ his remediis illatâ, glandulæ per eam ſparſæ humorem mucoſum ac ſeroſum copioſiùs evomunt, ad eas dein faciliùs appellunt humores, ab eis ſenſim liberatur ſanguis, minùſque fit idoneus ad eos fovendos morbos, eoſque denuò producendos. Hâcce agendi ratione effectus ſuos præſtant errhina; nam in ſanguinem non penetrant ad hanc evacuationem particularem promovendam: nicotiana tamen ſeu tabacum ſanguini nonnunquàm ſeſe immiſcendo epilepſias, vapores, nauſeas, vomitus, & ſyncopes accerſit.

Sub triplici formâ parari, ac præſcribi poſſunt errhina, liquida ſcilicèt, molli, ac ſiccâ: fiunt omnia ex ſim-

plicibus acrioribus, quæ irritationem membranæ pituitariæ inferre poſſunt.

Parantur errhina liquida ex ſuccis plantarum acrium ut *betonicæ*, *majoranæ*, *rutæ*, *&c.* qui dum vigiles ſunt ægri, in nares inſpirando attrahuntur, vel in eas penicillis intromittuntur, ſi ſopiti fuerint. Succus *cucumeris agreſtis* ſeu *aſinini* præſtat errhinum liquidum, ſed rarioris usûs, ob acrimoniam ſuam, quæ naribus inflammationem inducit. Quantitas ſuccorum ad errhinum liquidum parandum uncias ſex nunquàm excedat. *

ERRHINUM LIQUIDUM

In hemicraniâ, aliiſque capitis affectibus.

♃. Succorum betonicæ, & majoranæ ana ℥iij. miſce; fiat errhinum, cujus portio naribus attrahatur manè & ſerò.

Vel

♃. Succorum ciclaminis, & braſſicæ marinæ ana ℥ijß. ſucci menthæ ℥i. miſce; fiat errhinum. *

* Errhina mollia quæ ad eumdem præſcribuntur finem, parantur ex cerâ, oleo emollitâ, cui adduntur pulveres irrirantes. Quantitas horum omnium unciam unam non excedat.*

ERRHINUM MOLLE

Ad diuturnos capitis affectus, vertiginem, epilepſiam, oculorum hebetudinem.

℞. Foliorum betonicæ, & rutæ ſiccorum & pulveratorum ana ʒiß piperis albi pulverati ʒß. excipiantur paucâ cerâ oleo ireos emollita, fiat errhinum molle, quo interiora narium manè & ſerò illiniantur.

* Errhina ſicca quæ *ptarmica*, ſive *ſternutatoria* dicuntur, fiunt ex pulveribus acribus, qui valent nervos olfactorios ſuccutere, ſternutationem proritare, ſerique ſuperflui excretionem promovere: hæc errhina repentinâ inſpiratione naribus attrahuntur, dum vigiles ſunt ægri; ſed ſi ſopore detineantur, in nares per tubulum

inſufflantur. Proſunt ſternutatoria in apoplexiâ, aliiſque affectibus ſoporoſis, in ſummis capitis doloribus, & diuturnis cerebri affectibus. Ad pondus unciarum duarum præſcribi poſſunt errhina ſicca. *

ERRHINUM SICCUM

Seu ſternutatorium.

℞. Foliorum betonicæ, menthæ, majoranæ, & radicis lilii convallii ana ℨij. hellebori albi ʒß. fiat pulvis, cujus portio in nares inſuffletur.

Vel

℞. Nicotianæ, & foliorum betonicæ ſiccæ ana ℨiij. euphorbii ℈ß. miſce; fiat pulvis ſternutatorius, cujus portio in nares inſuffletur.

* Tabacum in pulverem contritum uſûs hodie frequentiſſimi eſt, tum delectationis causâ, tum ad ſternutationem proritandam. Hujus moderatus uſus modò odore *ambræ*, *zibethi*, aliorumque capiti noxam

inferentium non perfundatur, utiliſſimus eſt. Tabacum purum optimum eſt, præſertim ſi abſque ullâ permiſtione totis naribus trahatur: pro delicatulis tamen odore *piri bergomii*, aut *citri dicti cedra* perfundi poteſt, quæ ei ſuavem tantùm odorem impertiunt. Prodeſt tabacum pituitoſis, ſed delicatulis ac temperamentis ſiccis, & præfervidis multùm nocet, præſertim tabacum hiſpanicum, quod ob ſuam tenuitatem imis faucibus, ac pectori noxam infert. Tabaci fumus proficuum præſtat auxilium in *aſthmate*, *arthritide*, *rheumatiſmo*, *affectibus ſoporoſis*, *dentium doloribus*, & in omni partium fluxione, exceptis pulmonum fluxionibus. Per os leniter & copiosè educit ſerum ſanguinis ſuperfluum; nam tabaci fumus ſale acri volatili turget, qui in ſanguinem penetrat, ei permiſcetur, majoremque fluiditatem impertit; ac etiam irritatione vividâ, quam omnibus oris partibus infert,

ſpiritus animales ad glandulas ſalivales advocat, quæ dein copioſiùs evomunt ſalivam, ac alios ſuccos, qui ſalivali rori commiſcentur. Uſus Nicotianæ fumi nimius eſſe non debet, ne præfervidus, ſiccus, & acris fiat ſanguis; ſed ad ſublevandos morbos jam memoratos, ſufficit bis in die tabaci fumum haurire ex duabus fiſtulis, ex primâ poſt prandium, ex ſecundâ verò poſt cœnam.

Ad ſiſtendam narium hæmorrhagiam, adhibentur etiam errhina aſtringentia, quæ fiunt ex pulveribus aſtringentibus albumine ovi exceptis, qui naribus intromittuntur goſſypio, lanâ, linteo, vel linamento inſtar turundæ. Ad paranda hæc errhina aſtringentia pulveres aſtringentes ſunt præſcribendi ad ʒß. aut ad ſummum ʒi. *

ERRHINUM ASTRINGENS

In narium hæmorrhagiâ.

℞. Boli Armeniæ, terræ ſigillatæ, &

roſarum rubrarum ana ʒij. pulverentur, & excipiantur ovi albumine, cum eo agitentur, dein inungatur lana, vel goſſypium, vel linteum, vel linamentum, quod inſtar turundæ naribus intromittatur.

Aliud efficacius.

℞. Vitrioli albi ʒß. diſſolve in aquæ plantaginis ℥iij immergantur turundæ naribus intromittendæ.

* In hocce caſu adhiberi quoque poteſt ovi albumen, in quo per horæ quadrans fuerit agitatus, ac contritus unus lapis aluminis rupei. Perſæpè obtunditur olfactus, imò nonnunquàm evaneſcit, tum à ſero copioſiùs in membranam pituitariam irruente, nervoſque olfactorios relaxante, ut in gravedine; tum ab uſu diuturno, ac præpoſtero rerum jucundè olentium; ſed præſertim tabaci, quæ textum membranæ *Schneiderianæ* calloſum faciunt; tum à laxitate nervorum olfactoriorum à paralyſi inductâ, quæ cauſæ variis auxiliis ſunt oppug-

nandæ. Dum à ſero inducitur hocce olfactûs vitium; utendum *betonicâ*, *majoranâ*, *pulegio*, aliiſque ſternutatoriis, quæ tonum membranæ pituitariæ redimere poſſint; præterea identidem movenda eſt ægrotantis alvus, ut ſerum verſus inferiora avertatur, foràſque educatur. Si verò ſiccitati ac colloſitati debeatur, adhibenda ſunt primò emollientia naribus attracta, & dein utendum eſt guttis aliquot Balſami peruviani, cochlearibus aliquot aquæ florum nymphææ permiſtis, quod Balſamum etiam proficuum præſtat remedium fœtori narium: poteſt & quoque in hoc caſu uſurpari tinctura myrrhæ, & aloës; ſed tunc loco aquæ nymphææ, ſociandæ ſunt hæ tincturæ aquæ naphæ. Tandem ſi à paralyſi exoriatur, præmiſſis remediis internis, & ad paralyſim oppugnandam accommodatis; adhibenda ſternutatoria activa; frequentiùs & quoque naribus attrahendæ ſunt bellilucanæ aquæ, ut nervi olfactorii

reſerentur, debitaque tenſio eis concilietur. *

ERRHINUM

Ad olfactûs imbecillitatem.

℞. Foliorum betonicæ, origani, calaminthæ, & pulegii ana m. ß. florum ſtæchados, & anthos ana p. i. coque ad ℔ i. cujus decocti portio attrahatur in nares ter in die.

* Maſticatoria, à Græcis *apophlegmatiſmi*, ſunt medicamenta, quæ in ore diù detinentur, ac dentibus manduntur, ut è glandulis ſalivalibus ſerum copioſum evocetur, poſtque exſpuatur. Fiunt ex ſimplicibus calidis, & acribus, quæ vellicando linguam, palatum, ac vaſa ſalivæ excretoria, ſpiritus animales ad glandulas ſalivales advocant, ac uberiorem ſalivæ ſecretionem promovent, quâ ſanguis ſero ſuperfluo exoneratur. Proſunt itaque hæc medicamenta in omnibus cerebri affectibus, qui debentur ſeroſo humori,

qui à ſanguine circulanti deponitur in cerebro, vel in membranis cerebrum aut calvariam obveſtientibus, ut in *hemicraniâ*, *apoplexiâ*, *epilepſiâ*, *paralyſi*, *cataractâ*, *ophtalmiâ pertinaci*, *ſurditate*, ac ſimilibus capitis affectibus.

Apophlegmatiſmi præſcribuntur, tum ſub liquidâ, tum ſub ſolidâ formâ. Fiunt liquidi apophlegmatiſmi ex decocto *majoranæ*, *ſalivæ*, *betonicæ*, *hyſſopi*, *pyrethri*, *ireos florentinæ*; & aliorum ſimilium. Liquoris quantitas ad parandum decoctum libram unam excedere non debet. In hoc decocto radices, quæ multùm acres non ſunt, ad unciam unam præſcribuntur: eæ verò, quæ ſummâ acrimoniâ donantur, ad drachmas tres. Sicut gargariſmata uſurpantur ea remedia, ſed diutiùs in ore detinenda ſunt.

Raró præſcribuntur apophlegmatiſmi ſub liquidâ formâ, potiùs ac frequentiùs ſub formâ ſiccâ & ſolidâ, quæ, quia dentibus conteruntur, &

quaſi maſticantur, vocantur præcisè maſticatoria. Fiunt maſticatoria ex pulveribus exceptis aliquo ſyrupo, vel mucilagine *gummi tragacanthi*, aut melle, quibuſcum formantur globuli, aut *trochiſci*.

Ad paranda maſticatoria pulveres præſcribuntur ab unciâ ſemiſſe, ad unciam unam, ſed in formulâ non indicatur doſis ſyrupi, mellis, aut mucaginum, quibus excipiendi ſunt pulveres. *

APOPHLEGMATISMUS Liquidus.

℞. Radicis ireos noſtratis ʒij. foliorum ſalviæ, majoranæ, menthæ, & betonicæ ana m. ß. piperis longi, & pyrethri ana ʒi. coque in aquæ fontanæ ℔ i. hujus decocti cochlearia ij. detineantur in ore per aliquot momenta, & poſteà exſpuantur.

MASTICATORIUM.

℞. Pyrethri, ſeminis ſinapi, & ſtaphiſagriæ ana ℥ß. terantur omnia, & melle excipiantur, ut fiant globuli,

qui linteo involvantur, in ore detineantur, & dentibus mandantur.

MASTICATORIUM

Leniens frequenter uſurpandum.

℞. Lacrymarum maſtiches ℥ß. ceræ flavæ ℥iij. zingiberis & pyrethri ana ʒi. liquentur, & miſceantur, ut fiant globuli magnitudinis nucis moſchatæ; quorum unus volvatur in ore, maſticando per horam ſingulo mane.

Vel

℞. Lacrymarum maſtiches ℥ß, ceræ flavæ ℥ij. liquentur ſimul ut fiant globuli in ore volvendi ac maſticandi.

* Solæ ſæpè lacrymæ maſtiches pro maſticatorio uſurpantur, quæ in ore diù volvuntur, ac dentibus manduntur. Efformantur etiam maſticatoria cum ſolâ radice pyrethri, aut zingiberis, craſſiuſculè tritâ, quæ dein tenui linteo involvitur, & in ore volvitur. Promovetur & quoque copioſa ſalivæ excretio maſticando folia *lauri*, aut *rutæ*, aut *Nicotianæ*; vel

jejuno ventriculo plumis fauces vellicando.

CAPUT V.
DE SUPPOSITORIIS ET PESSARIIS.

SUppoſitorium (quod ab Antiquis ratione figuræ *balanus*, vel *glans* dicitur) eſt medicamentum formâ ſolidum, figurâ teres, quod in anum immittitur, ut vis expultrix, dum pigra eſt, ſtimuletur, foràſque educantur fæces ſtagnantes. In conſtipatione itaque adhibetur hocce remedium.

Duplex eſt ſuppoſitorium, ſimplex & compoſitum. Simplex fit, vel ex ſaccharo albo, vel ex lardo, vel ex caule aut radice betæ, braſſicæ, porri; vel ex ſapone albo, quæ cultro abraduntur, figurâque tereti donantur, ut in anum faciliùs intromittantur. Paratur etiam ſimplex ſuppoſitorium ex melle ſolo ad duritiem coctо.

Compoſitum fit ex melle crudo,

cui debitâ doſi admiſcentur remedia irritantia, ſed pulverata, *ut ſal commune, gemmeum, ammoniacum, colocynthis, ſcammonium*, &c. *

SUPPOSITORIUM BLANDUM.

℞. Mellis optimi cocti ℥i. ſalis communis pulverati ʒß. miſce; fiat ſuppoſitorium ano intrudendum.

* Parari poſſunt duo, aut tria ſuppoſitoria ſimul adaugendo doſim mellis, & ſalis communis, eâ proportione, ut pro quâlibet unciâ mellis, ſit drachma ſemiſſis, aut drachma una, aut ad ſummum drachma una & ſemiſſis ſalis communis. Loco ſalis communis, melle excipi poteſt ſal gemmeum, aut ſal ammoniacum, quæ potentiùs irritant. Porrò ſuppoſitorium ſive ſimplex, ſive compoſitum ſit, ante introductionem oleo inungi debet, ut faciliùs, citraque dolorem in anum inſinuetur. Stimulatur etiam vis inteſtinorum expultrix, dum pigra eſt, globulis

ſacchareis (gallicè *muſcardins*) paratis ex aloë, & ſaccharo pulveratis, ſimulque miſtis, ad conſiſtentiam ſolidam, adductis amylo, & mucagine *gummi tragacanthi*; eis addi quoque poteſt *ſcammonium* pulveratum. *

SUPPOSITORIUM FORTIUS.

℞. Mellis optimi ad craſſitiem cocti ℥i. ſalis ammoniaci ʒi. miſce; fiat ſuppoſitorium ſinapizandum pulvere *colocynthidis*, & in anum dein intromittendum.

SUPPOSITORIUM Ad vermes enecandos.

℞. Mellis ad craſſitiem cocti ℥ij. Hieræ picræ *Galeni* ʒij. ſtercoris muris exſiccati ʒi. miſce; fiat ſuppoſitorium illiniendum mercurio in terebinthinâ extincto, priuſquàm introducatur in anum.

* Peſſarium eſt medicamentum formâ ſolidum, ſed figurâ nunc teres, craſſioris ac longioris digiti magnitudinem æquans; nunc verò rotundum, aut ovale *naſcale* tunc

dictum, quod in vulvam muliebrem immittitur.

In uſu frequenti olim erat hocce remedium, ad cola uterina obſtructa reſeranda; nimis verò laxata, & humida reſtringenda; ad menſes ſuppreſſos advocandos, fluoreſque albos detergendos, & exſiccandos: nunc verò in uſum tantùm venit in uteri prolapſu multam noxam mulieri inferente, ut in ſtatu naturali uterus detineatur; ut potè quòd in fluoribus albis detergendis, & exſiccandis ſatiùs eſt uti injectionibus, & aquis vulnerariis, ſicut etiam remediis internis in obſtructione uteri, menſibuſque ſuppreſſis advocandis, quæ aliis auxiliis plus valent ad extricandum è ſanguine ſerum menſtruale, reſerandaque uterina cola. *

[Parabatur ab Antiquis peſſarium, vel ex *unguentis*, *oleis*, *ſuccis plantarum*, ſtupis mollioribus, aut goſſypio exceptis, linteo tenui, aut panno ſerico involutis, & in aptam figuram

concinnatis : vel ex pulveribus idoneis melle cocto exceptis, inſtar ſuppoſitorii : vel tandem ex linteo tenui aut panno ſerico, qui in ſacci exigui, aut circuli formam conſutus, pulveribus, *gummi*, plantiſque variis contritis replebatur. Ad uſum verò hodiernum paratur peſſarium, vel ex cerâ albâ in aptam figuram concinnatâ ; vel (& quod in uſu eſt frequenti) paratur ex fruſtulo ſuberis figuræ circuli, in centro perforato, cujus ſuperficies exactè illinitur cerâ albâ liquatâ, ut perpolita ac lubrica ſit, nullamque vaginæ noxam inferat. Hocce peſſarium aliis ſanè commodius, quia nec calore interno citiùs remolleſcit, nec alteratur eâ humiditate, quâ madent pudendorum interiora, & præterea diù noctùque ſervari poteſt abſque ullo, pro conceptione ac menſtruorum effluxu, obſtaculo : cæterùm peſſario filum debet appendi, ut è vaginâ faciliùs extrahi poſſit.]

FINIS.

ERRATA.

Pag. 15 *lin.* 19. *poſt* aperientia *adde* enim
18 *lin.* 2. pyroſæ *lege* pyrolæ
lin. 20. *poſt* balſami *adde* albi
20 *lin.* 11. graſſum *lege* craſſum
31 *lin.* 9. addendo i. *lege* addendo ℥j.
48 *lin.* 22. Chymici *lege* Medici
50 *lin.* 11. ſpiritus ſalis volatilis *lege* ſpiritus volatilis
54 *lin.* 12. excitantibus *lege* cientibus
59 *lin.* 22. pertubentur *lege* perturbentur
69 *lin. penultimâ* cujus *lege* cui
74 *lin.* 24. ℥iij. *lege* ʒiij.
87 *lin.* 17. Novo *lege* Nono
89 *lin.* 1. *poſt* non *adde* referat
97 *lin.* 5. *poſt* quamplures *adde* ac adhuc gratis exiſtimant nonnulli
119 *lin.* 17. *poſt* biſtortæ *adde* ℥ ſſ. foliorum
143 *lin.* 20. cremores *Sagou* non nutriunt, ſed *lege* cremores *Sagou* nutriunt, &
lin. ultimâ, *poſt* eſt *adde* lac
147 *lin.* 10. perverteret *lege* perverterent
150 *lin.* 14. ʒv. *lege* ʒvj.
157 *lin.* 11. ana m ſſ. *lege* m. ſſ.
168 *lin.* 15. inungere cum butyro *lege* inungere butyro
234 *lin.* 17. exercere *lege* exerere
288 *lin.* 18. Bolus medicamentum *lege* Bolus eſt medicamentum
297 *lin.* 21. ſed rarò *lege* ſed hodie rarò
315 *lin.* 18. alterato *lege* alteratum
337 *lin.* 3. Gebennas *lege* Sebennas
340 *lin.* 9. in aquæ fontanæ ℔ iij. *lege* in aquâ fontanâ ad ℔ iij.

Pag. 352 *lin.* 7. pulvis aluminis ſubſequens ; *lege* pulvis aluminis ; ſed ſubſequens

355 *lin.* 12. aquarum plantaginis *lege* ♃. aquarum plantaginis

362 *lin. ultimâ* umdem *lege* eumdem

372 *lin.* 18. emdem *lege* eamdem

383 *lin.* 15. cum butyro *lege* butyro

394 *lin. ultimâ* imminent *lege* imminens

399 *lin.* 15 Innocenti *lege* Innocentii

401 lin. 2. *Unguenti Palavicini* lege *Comitis Palavicini*

404 *lin.* 12. contundendus *lege* conterendus

436 *lin.* 5 atteratis *lege* alteratis

lin. 12. chamœmeli *lege* olei chamœmeli

456 lin. 8. *di Caperon* lege *Domini Caperon*

463 *lin.* 9. mucilaginem *lege* mucilaginum

469 *lin.* 2. ante & potionem *lege* ante & poſt potionem

482 *lin.* 11. ad ℥vj. *lege* ad ℥viij.

497 *lin.* 12. vulnerandum *lege* vulnera, dum

499 *lin.* 13. adulces *lege* Ad ulcus

Cætera quæ huc irrepſerunt menda corrigat Lector benevolus.